DECRETI *OXONIENSIS*

VINDICATIO

In Tribus ad

Modeſtum ejuſdem *Examinatorem*

Modeſtioribus Epiſtolis,

A Theologo Tranſmarino.



EXCUSA

Anno Domini MDCXCVI.

DECRETI OXONIENSIS VINDICATIO

In Tribus ad

Modestum ejusdem Examinatorem

Modestioribus Epistolis,

A Theologo Transmarino.

EXCUSA

Anno Domini MDCXCVI.

In Conventu D. Vice Cancellarii & Praefectorum Collegiorum & Aularum Universitatis Oxon. Die Vicesimo quinto Novembris A. D. 1695.

CUM in Concione nuper habitâ coram Universitate Oxon. in Templo S. Petri in Oriente, ad Festum SS. Simonis & Judæ proximè elapsum, hæc Verba, inter alia, publicè prolata & asserta fuerunt. *viz.* [*Quòd sunt tres infinitæ distinctæ Mentes & Substantiæ in Trinitate.*] Item [*Quòd tres Personæ in Trinitate sunt tres distinctæ Infinitæ Mentes vel Spiritus, & tres individuæ Substantiæ.*] Quæ verba multis justam offensionis Causam & Scandalum dedêre:

Dominus Vice-Cancellarius & Præfecti Collegiorum & Aularum, in generali suo Conventu jam congregati, Judicant, Declarant, & Decernunt, prædicta Verba esse *Falsa, Impia, & Hæretica*; Dissona & Contraria Doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ, & speciatim Doctrinæ Ecclesiæ Anglicanæ, publicè receptæ.

Quapropter præcipiunt & firmiter injungunt Omnibus & Singulis, eorum fidei & curæ commissis, ne tale aliquod Dogma, in Concionibus, aut aliàs, in posterum proferant.

Ex Decreto Domini Vice-Cancellarii & Præfectorum.

Ben. Cooper *Not. publicus*
& Registrarius Universitatis Oxon.

PRO-

PROEMIUM.

QUÆ damnavit Dogmata Oxonienſe Decretum iſtud, datâ ſcilicet ab obſcuro Theologo inter concionandum occaſione, celeberrima jam fuerant toto hôc biennio, ex perpetuis inter duos maximi nominis Doctores diſputationibus; ità ut ab Angliâ facilè ad nos, etiam remotiores tranſmarinos fama hæc primùm, ſcripta deinde ipſa advolaverint. Cum autem de Trinitatis Myſterio, quod eſt Chriſtianæ caput Religionis, diſceptaretur; & indies, non ſinè fidei periculo, invaleſceret contentio illa, expectabamus impatientiſſimi, dum interveniente tandem ſuperiorum authoritate error veritati cederet. Bellis tamen curiſque diſtracto aliis & Rege & Regno, libero Marte inter Theologos Athletas pugnabatur. Prioris nomen Sherlocius eſt, Cathedralis S. Pauli Eccleſiæ apud Londinenſes Decanus, Legúmque illic nobiliſſimi Collegii ex Sacerdotali officio Magiſter. Ignorari enim cum nollet, ſtatim ex ipſo libri titulo Dignitatem ſéque ipſum apertiſſimè indicavit. Poſterior autem celari voluit quidem, proprio non indicato nomine, ſed inani (ut refertur) modeſtiâ. Vix enim potuit vel ad horam neſciri, ità & ſermone & ingenio cæteris diſtinguitur. Inter eos unde orta ſit pugna, dicam.

dicam. Scripſerat Sherlocius *pro reali Perſonarum in Deo Trinitate contra Socinianas objectiones. Ratus enim nullum dari poſſe illius realitatis ſolidius argumentum, quàm ex* diſtinctis tribus *in Deo* Mentibus & Subſtantiis, *eas multiplicavit diſtinxitque, nec minùs quàm Perſonas. Aliquot poſt menſes vidi hunc ego librum; tranſmitti enim ad me illinc ſoleut, qui notæ ſunt diſtinctiores. Et hoc jampridem curavi, non modo propter aliquantulam meam linguæ Anglicanæ peritiam, partam illic olim peregrino mihi; ſed ob ingentem apud nos, meámque præſertim Anglorum Doctrinæ opinionem. Laudavi in libro ſat multa; hoc enim ex Origene habere videtur Author iſte; quòd, ubi bene, melius nemo; ubi malè, nemo pejus. Incidi tandem in* tres illas diſtinctas & Mentes & Subſtantias, *quo præcipuo errore ſcatet ubique liber; quanquam & aliis pluribus iſque peſſimis. Nôram ſatis eam non eſſe Anglicanæ Eccleſiæ fidem, in hôc nempe ſummo Articulo (ut & in cæteris) orthodoxam, puram, integerrimam, quantùm ex veteri meâ obſervatione intellexi; unde & amplius mirabar tantum illinc errorem prodiiſſe quem in ipsâ 39 Articulorum expoſitione damnatum pro hæretico legeram, & Tritheïtis imputatum; quem & non ità pridem capitali dignum ſupplicio Helvetii judicaverant, extinxerántque nuperrimè Batavi renaſcentem, arbitrati nimirum hoc monſtri genus, ni in ipſis pereat cunabulis, futurum ſtatim Chriſtianis plurimis exitio; tam citò vires obtinet, ac latè ſerpit & graſſatur; quod triſti etiam experimento comprobatum multæ paulò poſt renuntiárunt literæ: nec tamen obſiſtebatur malo. Eſt enim loci ingenium hoc, ut Anglis licèt ardentior nemo in pugnâ, ad pugnam nemo lentius veniat. Nos autem, naturâ iracundiores, moras iſtas vix ferebamus; & quamvis à periculo remotiſſimi, hâc ipsâ periclitantium ſecurâ tranquillitate*

quillitate terrebamur non mediocriter. Pugnæ & nobis sæpius mens fuit atque consilium, in arenam istam descendendi, scriptóque aliquo procellis occurrendi ingruentibus, Sed ex nostrâ tantæ apud Anglos ipsos & fidei & eruditionis reverentiâ, calamum iráſque (ægrè licèt) diu repressimus, cum huc opportunè tandem transmissæ sunt Animadversiones illæ, quarum Author alter ille Theologus Athleta, & Animadversoris hinc nomine ubique celeberrimus, quamlibet ignotus suo. Reviruit mihi ab hâc lectione animus, pristinâ dejectus aliâ; moràmque omnem abunde compensavit elegantia operis laude quâcunque clarissimi, exceptis fortassè hîc & illic strictioribus quibusdam gravitati argumenti Authoríſque dignitati mixtis (ut nonnullis videtur) respondentibus, quanquam meritissimis illis & sale ingeniosissimo plerumque conditis. Solabatur interea oppressum hôc pondere Sherlocium optimus Decanatus recèns in ipsum collatus. At verò ne auctis tantopere & honoribus & divitiis, famæ tamen suæ detraheretur plurimum ex Adversarii libro, tot tantísque acclamationibus celebri, alium edi curavit ipse, in suam erroríſque sui defensionem. Cui præter fallacias & convitia nihil insigne fuit, defuit nihil præter fidem atque rationem. Opus tamen suum miratus ipse, miserítſque Adversarii, adeo sibi triumphíſque suis plaudebat miser Thraso, ut hinc & plausus & ovationes non sinè risu audirentur; sed neque sinè lacrymis: repetitâ enim toties Mentium illâ Substantiarúmque Trinitate, metuebamus ipsi, ne tandem apud incautos lectores periret sua Deo Unitas, ter illic multiplicatis Divinis omnibus. Cum hæc timerentur, prodiit novus Animadversoris liber, cui Trithëismus inscriptus, & hîc Defensionem Defensorémque suâ ludibrio exposuit, ità perdidit, ut nullam Sherlocianis triadibus spem ulterioris præsidii reliquisse videretur. Quamobrem positis utrinque armis

jam

jam à pugnâ cessaverant pugnæ Duces, victus æquè ac Victor; tametsi gregariorum adhuc militum non infrequens erat ex alternis castris velitatio: sed post Ducum ipsorum certamina, vix alia usquam spectari contingebat. Quis igitur hunc finem fuisse belli non jurâsset? Ecce tamen recrudescere subitò visum est; quod enim novæ Trinitatis Dogma è Libris jam legebat nemo, coacti sunt omnes audire ex pulpitis; Impune ex multis quidem, ubi Bereenses pauci Auditores, qui ex fidei regulâ litem intentare ausint Concionantibus, ob nimiam scilicet plebis vel indulgentiam vel ignorantiam. Sed accidit, casu certè Trinitati Sherlocianæ infælicissimo, ut & Bereæ (Oxoniæ dicere volui) resonaret tandem è Pulpito, necnon audiente Academicorum concione frequentissimâ, ipsis etiam & Procancellario & Episcopo præsentibus. Quantum indè murmur excitatum, turbæ quantæ, quanta omnium indignatio, non modò testatur convocatus hâc de causâ cujuscunq; Collegii Rectorum Cœtus, sed & Decretalis, quam hîc præfixi, sententia, ut ad me verbatim ab illo Tribunali nuperrimè transmissa est. Quo accepta autem gaudio solus ipse noverit, qui & mœrorem antè ex non acceptâ, expectatâ licèt tamdiù, trijúmq; Mentium debitâ jampridem Dogmati. Fuere hîc statim gaudii hujus mei participes qui & mœroris fuerant. Acclamatum est Oxoniensibus: nec dubium erat quin brevi judicium illud authoritate superiori, si opus esset, confirmaretur. His non potuit Sherlocius non terreri, Author Dogmatis præcipuus; fœtui enim suo quis pater non metuat, & atrociter damnato jam & propè damnando atrociùs? Ludere quidem cum Animadversionibus *licuit, his etiam ad ignominiam flagellato: cum Decretis autem, cum Anathemate, nemo sanus ludit. Sed quid agat? Quò se vertat, erroribus jam fulminatis, fortè & cum illis intra paucos dies, fulminandus ipse? Alius qui-*

vis

vis & Modestior & prudentior nonne resipuisset? Resipiscenti enim tuta omnia; etiam à fulmine aut vibrato aut vibrando. Atea non solet esse Hæresiarcharum indoles; mordent lapidem, quo percussi sunt; retorquent in Judices Sententiam ipsam. Prodit, prodit citò Decreti Oxoniensis modesta Examinatio, *quæ à capite ad calcem modestiæ nihil præter inscriptionem habuit. Volvi Libellum; etiam atq; etiam revolvi, magis atq; magis irarum impatiens, audaciam ubiq; miratus hominis, (dixissem Latiniùs impudentiam) nec potui me ità continere, quin & cum ipso (Academiæ non solùm, sed Trinitatis præsertim causâ) expostulaturus, has quæ sequuntur mitterem ad eum Epistolas, quibus, quàm modestè licuit irato, examen refero examini. Neve privatim ea sibi legat, quæ utilitati scripsi publicæ, curatum est (absente me tamen) ut ex prælo potiùs in manus omnium evolent, quàm in privatas per Tabellarios. Quid enim scire potest utilius, quàm id ipsum in quo erratur periculosius? Ex hôc uno nempe mysterio bene (ubi res fert) intellecto vel malè, cæterorum fidem sub Evangelio veram habemus aut falsam. Quapropter, ut hinc erraretur primùm, totis tentaverunt viribus Ecclesiæ hostes, totiq; pariter ejus Defensores, ne erraretur. Judæos inter & Paganos Christiani obsistebant medii: pluralitatem in cultu ferre Judæi non poterant, Unitatem Pagani: Christianis utraq; placuit, unitatem nimirum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate colentibus; unum quidem Deum, sed tres Personas; tres Personas, sed Deum unum; Monadis & Triadis servatâ pariter religione. Humani autem intellectûs captum omnem cum supra modum excederet mixtus iste Unitati numerus, facile fuit Judæorum Sophistis tres illas Personas in unam contrahere, quæ cum diversas sustineret Personas, hoc est, aut provincias aut officia, modò Pa-*

ter diceretur, Filius modò, modò Spiritus Sanctus. Hùncq; errorem promovit olim plurimùm Allegoriis figurisq; innumeris suis Mysticus Origenes, incautè magis quàm hæreticè. Hausto hinc alii veneno Trinitatem Nominalem istam ex instituto professi sunt. Prior Noetus quidam, Sabellii Magister, deinde ipse discipulus, Magistróq; longè audacior; unde & ab eo illius erroris professores Sabellianos vocat historia. Speciem religionis maximam præ se ferebat hæc hæresis. Unitatem enim Dei contra Paganizantes defendens, nullum ex tribus Personis offerebat pluralitatis offendiculum; hincq; error metuendus magis, quò erroris indè minor suspicio. Ex Scripturis tamen apertissimè confutatus est. Ubicunq; illæsa Dei Unitate, realem Personarum distinctionem Processiones ipsæ, Relationes, Missionésq; quasi digito demonstrant. Quis enim à seipso procedat, ad se referatur, mittátq; seipsum? Sed multis Orthodoxè contra Sabellianos tunc disputantibus idem accidere visum est, quod Sherlocio nuper contra Socinianos. Ut probarent enim evidentiùs Personarum distinctionem, non contenti oppositionum argumentis, diversisq; Subsistendi modis, cuilibet Personæ suam tribuerunt distinctam Naturam, ità ut Pater, Filius, & Spiritus Sanctus non differrent minùs quàm tres aut Angeli aut Homines. Quod si revera ità esset, nullus Sabellio relinqueretur effugiendi locus; nec ampliùs de Personarum distinctione apud suos unquam ambigeretur. Sed periculosa semper est nimia probatio. Actum est de Unitate cum Trinitate hujusmodi; quæ si Naturarum, uti & Personarum, non possit etiam & Deorum non esse; ratio, ut & Fides, hoc evincit. Huic tamen Naturarum distinctioni, perniciosæ quantumlibet, adhæsit pertinaciter Arius, & cum eo ex suo Nomine Ariani omnes. Inter utramq; hæresim ità distrahebatur temporum illorum Ecclesia, ut nec Deo

Trinitatem

Trinitatem alii relinquerent, nec Unitatem alii Tantis autem utrinq; (quasi inter duas Syrtes) periculis, nulla nisi in generali Concilio adversùs naufragium quæsita salus. Opportunè sub Constantino magno ista contigerant, unde & facilis apud Nicæam urbem Convocatio tanta; sed nec sola hæc medendis malis providit Synodus. His quoq; tunc & intrà & extra Synodos providêre Patres, Sanctitate, ingenio, doctrinâ si qui unquam clari, totó;; etiam nunc Orbe Christiano celeberrimi. Decebat illa tempora, illos viros, quæstionis tanta inter extremas utrinq; hæreses deliberatio, explicatio, solutio. Contra Sabellium reali Personarum Trinitati tam sapienter prospectum est, ut hinc pro suâ Naturarum Trinitate nihil invenerit Arius, quod ulciceret; vicissimq; adeo prudenter adversùs Arium Divinæ Naturæ Unitati consultum etiam fuit, ut indè Sabellius unam solámq; in Deo Personam inferre non posset. Sic ex utrâq; parte frustratis hostium insidiis decretum concilió; maturissimo definitum est, Unitatem in Trinitate, Trinitatem in Unitate & credendam & colendam. Quæ definitio ità placuit, ut ab illis temporibus ad hæc usq; nostra vim suam inviolatam servaverit; quicquid pro Sabellio alii aut alii pro Ario sæpe contenderint, núcq; etiam contendant. Eorum auxit, auzeli q; (vereor) numerum, ultra quàm putet (fortéq; & optet) ille Sherlocius, Divinarum auctо Mentium numero substantiarúmque. Præter enim quos jam Magistro peperit Dogma illud Discipulos, Orthodoxæ Trinitatis hostes, metuendum videtur ne & sectis aliis Magistríſq; non melioribus plures pariat; cum à rectâ hujus Mysterii fide proclivis undequáq; pateat fuga, aut facillima saltem aberratio. Unde mirum non est Antitrinitarios ità soboleſcere, tótq; contrariis dividi Erroribus. Nulla jam errantium hominum turba frequentior; hâc si modò Antitrinitarii voce (ut re-

ipsâ ſonat) hoſtem Trinitatis quemlibet intelligamus; ſive Trinitatem neget, aut mutet in aliam. Hanc utinam Judæi negarent ſoli, ſoli Turcæ, qui ut Deum unum, ità & unam ſolámq; in Deo agnoſcunt Perſonam! Minùs vix negant, qui ex Chriſtianis nominalem tantùm cum Sabellio aſſerunt; Deïſtæ præſertim qui apud nos & vocentur & ſint; nullam niſi exiſtentis cujuſdam Dei profitentes religionem, nec à Turcis Judæisq; alieni magìs quàm ab ipſo Sabellio. Licèt autem Antitrinitarius propriè nemo ſit præter hactenus memoratos, utpote Trinitatem negantes, Deum confitentes tamen; quidni & Antitrinitarii dici quoq; poſſint, quotquot, non omni quidem Trinitati, ſed Orthodoxæ adverſantur, eam omnino in aliam tranſmutantes? Ex iis notiſſimi fuere olim & Euſebiani & Ariani, qui ne Sabelliani fierent, non minùs in Deo Naturas quàm & Perſonas diſtinxere; ſoli tamen Patri ſummum & numen & imperium adſcribentes: quâ Filium inter & Patrem inæqualitate eos negabant eſſe conſubſtantiales, utriq; non diſtinctam modò, ſed & diverſam aſſignantes Subſtantiam. Quapropter Conciliis curæ præſertim fuit, ut Patri Filius ὁμοούσιος haberetur, nec minùs ſaltem ejuſdem cum eo Subſtantiæ quàm Abel cum Adamo; quod voluere tamen ità dictum, quaſi non major eſſet Divinæ Naturæ Unitas quàm Humanæ: Sed quia majore adversùs Arium opus non fuerat, qui Naturâ diverſum à Patre Filium, non diſtinctum modò contendebat eſſe; proindéq, nec Naturâ ſed Adoptione Filium; nec genitum à Patre ſed creatum. Prudentiæ igitur tunc fuit maximæ unitatem non urgere altioris perfectioríſq; ordinis, cum & vulgaris hæc perdendo Ario ſufficere poſſet, Sabelliíq; cavillis alia pateret magìs obnoxia. Quo ceſſante poſtea periculo ſublimior hæc Naturæ Divinæ Unitas, Numerica nempe, ubiq; locum palam obtinuit; & Specificæ damnata eſt tandem vel ſuſpicio,

Tritheïſmum

Tritheïſmum quippe ſecum afferentis. Divina enim Natura cum Deus ſit ipſe, totidem ſint oportet & Dij, quot & in Deo Naturæ. Quamobrem ſequelâ territi adeo profanâ, adeo blaſphemâ, & Arius olim, & nuper Socinus, non diſtinctam modò, verùm & diverſam à Patre Naturam dedêre Filio, eámq; ita degenerem, ità diſſimilem, ita diſparem, ut ſumma Deïtas, ſummum Imperium Patris ſolius ſit, Filii verò & Spiritûs Sancti ſubalterna tantùm precariáq; Divina omnia: hoc eſt propriè loquendo, Divina nulla. Sicq; Errorem Errore mutantes, dum cavent illinc à Tritheïtis, diſcedunt à veris hinc Trinitariis; duásq; potiùs Perſonas ſummæ Deïtati ſubtrahendas putant, quàm addendas naturas; Unitatis nimirum in Deo ſervandæ magìs ſolliciti quàm Trinitatis. Ne autem hoc ſibi exprobratum quoq; videret Sherlocius, contrariâ omnino inceſſit viâ. Trinitatis enim magìs ſollicitus quàm Unitatis, ne fortè tres Perſonas in unam Sabellianus aliquis confunderet, cuilibet Perſonæ diſtinctam aſſignavit Naturam; artéq; illâ, ſubtilis homo ingenii, naſutúſq; Sophiſta, non unam modò ſervat Trinitatem, verùm addit & alteram, tres Naturas, utì & tres Perſonas pari religione & credens & colens. En Trinitarium! ſed ubi quæſo eſt Unitarius? Retorquebit ſcio, errore ſuo deceptus, noſtræq; ignarus fidei; En Unitarios! ſed ubi ſunt Trinitarii? *Adeò ei videmur realem neglexiſſe Trinitatem, ſolis (ut calumniatur) chimæris contenti, qui tres tamen Perſonas & reales & Subſtantiales (in Unitate quidem Naturæ) & credimus & colimus, univerſáq; nobiſcum Eccleſia; hanc licèt ad ſuas conetur partes trahere, ſuámq;* Mentium Trinitatem *ac Subſtantiarum (errore manifeſtiſſimo) Conciliis & Patribus imputare; unde non tam ſibi quàm illis ab Academico Senatu illatam injuriam fronte quâ ſolet convitiatur: Hoc autem, vel*

ignorantiæ.

ignorantiæ, vel impudentiæ tantæ est, ut inultum ferri nec possit amplius nec debeat vel ab extraneo; quanquam nullâ præter suam opem, multò minùs meâ, indigeant sententiæ vindicandæ suæ tam docti Judices; hâc sed ego indigebam opportunitate, ut meum erga eos, de me olim optimè meritos, significarem studium, animúmq; officii memorem: Sit licèt quæ me etiam moveat causa & dignior longè & sanctior, res ipsa Religionis tanta, Orthodoxæ Trinitatis defensio. Talem autem me defensorem habuerit, qualem Decretum Oxoniense Vindicem; utriusq; enim & causa eadem & idem hostis, ísq; infensissimus; ad quem proinde si quid videar scripsisse hostiliter; non deerunt quæ me plurima excusent; nam præter inversam tanti Mysterii & fidem, & religionem; præter imputatum Conciliis, Patribus, Ecclesiæq; non Anglicanæ modò, sed & Catholicæ, Dogma tot nominibus execrandum; præter illam quoq; in Oxoniensis Decreti examine ironicam Modestiam; aliáq; hominis contumeliosissimi multò plura; etiam accedit hoc intolerabilis non calumniæ modò sed impudentiæ, quòd ab Animadversore tam egregiè castigatus, expulsus castris, ad internecionem victus, glorietur tamen quasi victor, & triumphum petat; cój; præsertim falsissimo nomine, quòd ad incitas redactum Animadversorem, convitiis prælisq; inanibus fessum, tandémq; animi, utì & viribus deficientem, ab arenâ fugisse mentitur, priorémq; arma posuisse; sed & hunc ipsemet (adeo caret memoriâ) pugnâsse tam longùm fatetur, ut pugnam non sustinens amplius, pedem retraxerit, non tantùm nihil reponens, sed vix ausus in Trithëismo, &c. *belli hujus prosecutionem (si qua ipsiusmet confessioni fides)*

Exam. p. 8. *vel legere vocémq; audire provocantis Adversarii. Scire debuerat quàm oporteat mendacem memorem esse. Optârim & legisset & audîsset*

audiſſet quæ illic docebatur. Haud peteret nunc ab Academicis Judicibus latæ ſententiæ rationes, quas tantâ perſpicuitate & doctrinâ exhibuerat ante ſententiam ipſam Liber ille. Stultum eſt quærere quod ad manum eſt; nec patitur Judicum dignitas, ut quæ Judicii cauſa palam præierit typíſq; mandata, eandem poſt judicium ipſum examinandam Reo præbeant. Si meas tamen legat Epiſtolas, intellexerit plùs ſatìs, hoc non fuiſſe temere damnatum, quod tot tantíſq; nominibus damnandum demonſtratur. Harum ergo Lectionem diutius cur moror ipſe? Nunc, nunc legantur & proſint; ſi quid, quod meum eſt, poſſit homini prodeſſe, cui nec profuere multò meliora. Lumini rebellem ità ſe præbuit!

A D

AD

Modeſtum Oxonienſis *Decreti Examinatorem, Theologi Tranſ-marini Modeſtior Epiſtola.*

DUriſſimè quidem apud Populares tuos tecum agitur, Vir inſigniter note; quem, poſt Animadverſoris inclementiſſimi repetita flagella, Decreto ſtatim Academico caſtigant inclementiùs: quaſi parum fuerit vi rationum jam oppreſſum eſſe, niſi & Authoritatis pondus te contereret. Nonne mali plus nimis viſum eſt, Doctrinam hanc tuam de *tribus in Deo Mentibus* tot tantíſq; antea exploſam fuiſſe argumentis? Cur etiam ut *falſa*, ut *impia*, imò ut *hæretica* damnatur feritúrq; quodammodo anathamate? Haud potuimus nos (vel extranei) hæc & audire & legere, quin & vices doleremus tuas, manſuetudinémq; miraremur. Alius enim præter te quilibet ignominiam paſſus ejuſmodi, irarúmq; impatiens, manibus dentibúſve Decretum laceraſſet, aut paribus retudiſſet contumeliis. Ipſe verò, *Modeſto* contentus *Examine* (ſi qua inſcriptioni fides), Sententiam Judicéſq; eâ, quâ ſoles Adverſarios omnes tuos, verborum ubiq; lenitate demulſiſti. Vix mitiores olim, vix humaniores, poſt ſuam in Synodis condemnationem, Arius Neſtorius Eutyches Macedonius, aliiq; ſuî (Tuî non dicam) ſimiles. Ità contines te; ità, vel tantæ ultor injuriæ, decorum tamen ſcribendo ſervas, debitámq; Authoritati reverentiam! Perlegatur Examen ipſum, occurrent paſſim, à capite ad calcem, nova illic & ſtupenda promiſſæ *Modeſtiæ* Specimina. Leve eſt, ſi quid exprobrari contigerit; in Acade-

miâ nimirum, eâq; florentiſſimâ, neſciri Grammaticæ rudiora Elementa; voces, eáſq; palam obvias, non intelligi: imò nec jura privilegiáq; ſua; nullum ibi in Cœtu & convocando & convocato ſervari ordinem; temere ac imprudenter omnia fieri; quæ vera, quæ religioſa, quæ orthodoxa, ignorari turpiſſimè, ab ipſis etiam ſummis Rectoribus; nec ea tantùm quæ Catholicæ contraria Eccleſiæ, ſed quæ & Vernaculæ. Levius adhuc eſt quod & ſuggeritur, rationis eos vix fuiſſe compotes, cum Dogma damnarent tuum; Eos Ruſtici cujuſcunq; Sapientiam vix aſſecutos; víxq; alienos à delirio, qui vel communi ſenſu in Decreto hujuſmodi caruerint; Sileo multò plura, Examinator Modeſtiſſime, hâcq; tantâ tuâ Modeſtiâ promiſſâq; Manſuetudine longè digniora. Silere autem quis poſſit ſingularem tuam erga Cenſores illos benignitatem? Quos ut ab errore purges Grammatico, dum ipſe corrigis, ruis in pejorem, *Relativo* uſus magis ambiguo; quaſi inter utrúmq; [*eorum* ſcilicet ac *ſuæ*] nil providiſſet Grammatica Medium, quod & Salvâ perſpicuitate rem exprimeret Latiniùs. Sed quid iſta moror puerilia? Doces eos Magiſter novus quod nemo (quem Sciam) antè docuerat, *Mentem* in Theologicis nihil jam habere mentis præter nudum nomen; vímq; (per te Dictatorem ſummum) obtinuiſſe *Perſonæ*, quanquam nihil minùs ſonet.

Primus quidem *trium in Deo Mentium* Inventor non fueras: aliquid ſimile inter Paganos ſomniaverat Plato; Gentiliter quoque inter Chriſtianos Valentinus Gentilis idem quodammodo ſenſerat, nec impune, capite ſcilicet hinc damnatus. Ex hôc fonte manavit illa *Mentium Trinitas* in quoſdam alios, à quibus & ad te pervenit ultimum. At inveniſti prior Mentis in Perſonam tranſmutandæ Alchymiam. Ars iſta opus omnino tuum eſt: nec aliunde veriùs glorieris, *Virum* te eſſe εὑρετὴν. Quid hoc tamen proſit, Nomenclator ingenioſiſſime audaciſſimeque, niſi & imponat Authoritas tua, ut vocum fias ὁμολογεμένως arbiter, ſitq; contra uſum ipſum pro ipſomet uſu imperium tuum, & contra rationem voluntas pro ratione? Hanc ulteriùs artem cura ut invenias, & voti compos factus es. In tuam undequaq; *trium Mentium* Sententiam pedibus manibúſq; ibitur: currum triumphalem tuum volens nolens ſequetur Animadverſor ipſe, toties olim clade ſuperbus

bus tuâ : Nec mendicandum erit *Diploma Regium*, quo fulmen Academicum pereat ; noſtris ipſis unguibus Charta Decretalis lacerabitur. Nervos igitur omnes huc intende; rem expedi ; Sanciatur Lex, ut quodcunq; juſſeris verba ſignificent. At verò (crede mihi) hoc opus, hic labor eſt. Spe vanâ te deludit, quod exemplum affers, Nicænum Homoouſion ; videriſq; nimis credulus, qui ex proſpero vocis illius fato, idem & menti futurum omineris. Nata vox illa fuerat communi inter Patrem & Filium ſignificandæ Subſtantiæ ; nec aliud quicquam vi originis, ſuâq; conſtructione manifeſtius indicat ; aut ſi quâ ex malignis Interpretibus obſcurari potuit ambiguitate, trahíq; in uſus diverſos, ſaltem Concilii tanti Authoritas, Patrum conſenſus omnium, Univerſæq; per tot Sæcula interpretatio Eccleſiæ plus (ni fallor) valuit ad determinandum vocis hujus officium, quàm unus Sherlocius (ignoſce comparationi) ad innovandum *mentis* ſignificationem, quantovis Decanatu moléq; ſuperimpoſitâ emineas. Nec exiſtimes (ut te plus ſemel ſcripſiſſe memini) nihil præter coævæ Antiquitatis conſecrationem *Menti* deeſſe, ut parem ſibi ad uſus novos vim obtineat, quàm aut Homoouſion, aut vox alia quælibet, jam longâ invaleſcens conſuetudine obtinuit. Adde quòd & *Mentis* nomen ità diverſam à *Perſonâ* induit naturam, ut ab arbitrio non ampliùs pendeat ; nec eam jam poſſit ſubire mutationem, niſi & mutato Religionis ſtatu. Quis enim neſcit (vel tolerabiliter Theologus) actum de Fide Chriſtianâ fore, Subverſo & Trinitatis & Incarnationis Myſterio ? Neutrum autem ſteterit, ſi, quod *Perſona*, *Mens* idem ſignificet : & ne hoc gratis dictum putes, mecum breviter expende, an converſâ *Mente* in *Perſonam* ſtare poſſit utrumvis Myſterium.

Prior expendatur Incarnatio. Nonne contra Neſtorium tenemur credere unicam eſſe in Chriſto *Perſonam*, & contra Eutychen duas *Naturas ?* Neutrum autem tutâ fide quiſquam crediderit, *Mentis* & *Perſonæ* officiis permiſtis, Synonymíſq; vocibus. In Chriſto enim ſi unicam contra Neſtorium dixeris *Perſonam*, unicam & *Mentem* dici oportuerit, ex Synonymiæ nempe hypotheſi, vocúmq; idem ſonantium conditione. *Mentem* verò quiſquis in Chriſto dixerit unicam, unicam & in eo voluntatem cogetur dicere, quæ *Monothelitarum*

fuit hæresis. Si autem duas in Christo contra Eutychen agnoscis *Naturas*, annon & duas in eo *Mentes* te coget fides agnoscere? At si duas *Mentes*, nonne ex hypothesi tuâ & *Personas*, quod erat Nestorianum? Itaq; nemo non videt quantum periculi, ex illâ *Mentis* & *Personæ* Synonymiâ, Incarnationis Mysterio impendeat.

Ecce & instat aliud. Si enim id quod *Persona*, *Mens* etiam in Deo significet, hoc idem & *Natura* significaverit, cum *Naturæ* & *Mentis* in Deo eadem omnino conditio sit. Totum enim quod essentialiter Deus est, *Spiritum* (seu *Mentem*) oportet esse; Deus nimirum (in ipsâ Scripturâ) *Spiritus* (seu *Mens*) definitur. Definitio autem naturam rei & explicat & quodammodo est; proindeq; & *Natura* & *Mens* voces in Deo sunt Synonymæ. Cum ex tuâ igitur hypothesi hæc in eo omnia confundi necesse sit; quæ Naturarum in *Personâ* Verbi facta est Unio, factam eam fuisse oportet in ipsissimâ ejus *Naturâ*, quæ cum & Patris eadem numero sit, Patrem non minùs factum hominem, imò nec passum nec mortuum minùs sequeretur quàm Filium ipsum; quoniam Incarnatio fieret in re utriq; formaliter communi, si *Personam* & *Mentem*, ideóq; & *Naturam*, Synonymè in Deo ex Principiis tuis interpretaremur. An hujus Mysterii fides (rogo te) cum tot tantisq; hæresibus stare possit, quas tamen, ex *Mente* in *Personam* mutatâ, vides omnino sequi? Adde quòd hîc in uno tertio conjungi naturam humanam oporteat simul & Divinam: sitq; tertium hoc utriúsq; Naturæ commune vinculum; quod quidem in rectæ fidei doctrinâ Persona Verbi est, terminus nempe inter utramq; Naturam medius. Tollit autem medium hunc terminum, tollit vinculum, tollit commune illud tertium, quisquis *Mentem* ex *Personâ* aut *Personam* ex *Mente* fecerit. Nihil enim remanet quod uniat, ubi præter Extrema eáq; infinitè distantia nihil relinquitur: Nam si Verbi *Personæ Mens* Synonymè, ideóq; & *Natura* fuerit, apta quidem illa, non quæ uniat, sed quæ uniatur; aut è contra si Divina *Mens* seu *Natura* in *Personam* (ut jubes) mutetur, apta fiet, non quæ uniatur, sed quæ uniat. Nonne igitur ex hâc tuâ *Mentis* & *Personæ* significatione mutuâ ruit funditus Incarnationis Orthodoxa fides?

Nec

Nec Trinitas fuerit heu! fecurior. quanquam enim periculum ſtatûs ſui Deo nullum eſſe Tertullianus aſſeruerit, actum tamen de *Uno* & *Trino* videtur, ſi tua *Mentis* & *Perſonæ* admittatur Synonymia, mutuáque illa (cujus Author es) harum dictionum & converſio & prædicatio. Ubi nimirum, quæſo, Dictator nove, locum ſibi in Trinitate inveniet Unitas, (experiar hanc primùm) ſi in Perſonas mentibus mutatis, idem qui Perſonarum, fiat & neceſſariò Mentium numerus, eadémque relativa conditio; nec mentium modò, ſed & earum omnium quæ Mentis in Deo eſſentialiter Synonyma reperiuntur, quales Natura, Subſtantia, Eſſentiáque ipſa; Mens enim illic eſt hæc omnia. Quare & pro Mentium diſtinctarum numero, conſequenter omnia hæc multiplicabuntur, facta quippe ex Abſolutis Relativa. Quòd enim in Divinis tota penès Relationem vis multiplicandi ſit, nemo ignorat, vel mediocriter Theologiæ doctus. His autem ſic multiplicatis, quid in Deo ſuperſtes *unum?* non ipſa Deitas, non Deus ipſe. Quodlibet enim cum pluribus aut Naturis aut Subſtantiis aut Eſſentiis aut Mentibus unum eſſe omnino repugnat, niſi complexa quadam unitate quæ ex partibus junctis coaluit, ideóq; & ab Ente ſimpliciſſimo (qualem Deum eſſe conſtat) alieniſſima. Vide quò diſcriminis Unitatem Dei compulit *Mens* in *Perſonam* (te artifice) mutata. Quin etiam hinc tuta non eſt ipſamet Perſonarum Trinitas: cum enim Dictiones illæ in Lexico tuo idem ſignificent, eadem erit *Perſonarum* computatio quæ *Mentium.* Tres autem Mentes in Unam ſi aliquando (cum te Multiplicationis tædet) contrahis; nonne & pari jure, quoties libuerit, ex tribus Perſonis una conflabitur? Quæcunq; ergo reverà in Deo *multa* ſunt, fient *Unum*; ſi juſſeris; & quodcunq; in eo reverà *unum* eſt, fiet *multa.* Tantæ virtutis fuit illa *Mentis* & *Perſonæ* in eundem ſenſum conjunctio! ità ut in poſterum hac arte tua pro arbitrio viciſſim negaveris, vel Deum Unum eſſe, vel eſſe Trinum; quo quid Trinitatis fidei perniciosius? quam nemo integram ſervaverit, niſi Unitatem in Trinitate ac Trinitatem in Unitate inconcuſſam teneat, conſtantérq; adoret.

Ex præmiſſis igitur patet manifeſtiſſimè, haud minùs Trinitatis quàm Incarnationis Myſterio novam hanc tuam Nomencla-

menclaturam adverſari; paritérq; in Religione confundi omnia, ubicunq; iſta *Mentis* & *Perſonæ* admittitur confuſio. Quis enim ordo Religioni ſervetur, ubi Deo nec ullus, vocibus his permiſtis? Ordinem tollit, qui diſtinctionem: nec in Deo ſupereſt diſtinctioni locus, ſi *Mens* & *Perſona* in unam eandémq; coaluerint ſignificationem. Promiſcuè cum Subjecto ſuo Relationem concipies, Perſonalia cum Eſſentialibus, & Communia ipſa cum Propriis. Quicquid namq; intra Deum eſt, cum vel *Mens* vel *Perſona* ſit, niſi hæc ab illâ diſtinctè concipiatur, *Mens* eſt quod totum concipis, quod totum *Perſona*; omnia *Subjectum*, omnia *Relatio*; *proprium* quidlibet, quidlibet *commune*; Chaos undequaq; indigeſtum; incertum Ens, anceps, ambiguum, quod neſcias an *Mentem* dixeris aut *Perſonam*, ex re ſcilicet indiſcriminatim utramque. At verò crediſne pari dicendum Orthodoxiâ, & Deum *Mentem* eſſe, & Deum eſſe *Perſonam?* Mentem ſi dixeris, Catholicus es; ſi Perſonam, Sabellianus. Utrumlibet dici tamen oportuerit, admiſsâ Mentis & Perſonæ converſione mutuâ, & quam urges æquipollentiâ Synonymiâque. Quanta autem in adverſum pugnent (niſi ſis omnino rebellis lumini) facilè videris. Deus, qui tres Perſonæ, non una Perſona; Mens tamen una, non *tres Mentes* (niſi à te tuíſque) prædicari ſolet. Quem enim rectè per unam mentem, per tres ineptiſſimè deſignavero; utì è contra, quem rectè tres dixerim Perſonas, unam dixero ineptiſſimè: Nam ſi Deus Mens eſt, quomodo *Mentes?* Si Perſonæ, quomodo Perſona? An reconciliator tantus es ipſe, qui hæc ità pugnantia omnino concilies, unitatem cum numero, numerum cum unitate, ac utrumq; ejuſdem denominationis, Mentem & Mentes, Perſonas & Perſonam? At verò quæ difficilis tibi reconciliatio, per quem in Deo ipſo *Mens* & *Perſona*, reluctante quantumlibet ſenſu, idem didicerunt ſignificare? Adeo ut conceptu præcisè uno eodémque hanc & illam intelligas, *Suppoſitum* & *Subjectum*, *completum* & *incompletum*, *determinatum* & *vagum*, quod *alicujus*, & quod *nullius eſt*, *incommunicabile* & *communicabile*, *modum ſubſiſtendi eſſéque* ipſum; quid plura? omnia dixi, *Perſonam* & *Mentem*. O ſubtile ingenium, vímque intelligendi acutiſſimam! O Theologum, te Philoſopho dignum! præter quem nemo hactenus ſapuit. Ex diſparatis enim quis ante te

Synonyma

Synonyma conſtituerat? Eáq; Synonyma quorum tanta diverſitas eſt, ut & quod de uno negetur, affirmari poſſit de alio; nec ad eundem rerum ordinem pertineant; aliúdque in Deo *ſubſtantiam*, *relationem* aliud indicet; ex illo Deus præcisè ſit *unus*, ex hôc *trinus*; hinc diſtinctiſſimè Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; illinc ſimpliciſſimè Deus prædicetur. Mirabilem ſanè novámq; Synonymiam!

At verò (inquis) cum arbitrariæ ſint voces, rerúmque & animi ſigna omnino libera, quo jure quis prohibuerit eandem *Mentis* & Perſonæ nominibus Ideam affigi, vímq; conſequenter utríque parem, ſignificationémque prorſus Synonymam? Audi tamen quis prohibeat. Uſus. Quo jure? Suo, Sermonis quippe tyrannus & arbiter; cui tu ipſe, tantus Dictator licèt, oportet pareas, ſi modò & loquens & ſcribens vis intelligi. Pari enim ſucceſſu pro albo nigrum diceres, pro Patre Filium, aut alia hujuſmodi vix magis quàm *Perſona* & *Mens* invicem pugnantia. Neque toties inculca nobis Nicænum Ὁμοούσιον, quod præter receptum ab Orthodoxis ſenſum in varios quidem diverſiſſimóſq; uſus ab aliis diſtrahebatur. Ad propoſitum quid hoc enim? Diſputabatur tunc temporis de voce, vix adhuc & natâ & notâ, quæ variis idcireo tentanda fuit interpretationibus, antequam de verâ & certâ conſtaret. Nihil autem habes ejuſmodi, quod *Menti* in *Perſonam* mutandæ patrocinetur: *Mente* nihil *Mentíſque* voce aut antiquius aut notius, nec illi cum *Perſonâ* commune quicquam apud Theologos. Deleri facilè non poteſt vetus imago ſoni tritiſſimáq; ſignificatio, præſertim ut nova ſubſtituatur, hæcq; alieniſſima. Quid huc igitur contulit repetitum ad nauſeam Homoouſion illud? Abſtinuiſſes omnino ab ineptiſſimâ comparatione, ſi Animadverſoris & conſilio & operâ uti libuiſſet. Utere tandem; & eo quo ſcripta ſunt animo, ſua quæſo meáq; etiam legantur; nam & quæ breviter ego, & quæ fuſiùs doctiúſque ille, plùs ſatìs (niſi indocili) ſuffecerint, non modò ut ſimilitudinis percipiatur abſurditas, ſed & ſua *Menti* relinquatur ſignificatio.

Veniâ tamen dignus vidèris aliquâ, dum in hâc diſputatione vis pro *Perſonâ* pertinaciter *Mentem* uſurpari. Nil enim occurrit commodius, ad quod in iſtis confugias anguſtiis: *tres* námq; in Deo *Mentes* quis auſis negare, ſi modò *Mens*

&

& *Perſona* idem omnino ſignificent? Spe autem ſemel eversâ hujuſmodi effugii, tum quò te vertes haud facilè proſpicio, nec faciliùs fortaſſe proſpicis ipſemet. Hinc urges totis viribus (& ad faſtidium) ſynonymiam iſtam; ſed caduco innixus fundamento, inani te labore fatigas. *Mentem* pro *Perſonâ* nemo feret; non quòd Perſona in Deo quælibet à *Mente* ut *Res & Res* aut diſtinguatur aut differat; Mens enim & Perſona Patris reipsâ unum omnino ſunt, ità & Filii, ità & Spiritûs Sancti: Nam etſi Perſonæ inter ſe realiſſimè diſtinguantur, quippe quæ ex adverſo ſibi invicem per mutuas relationes ſuas oppoſitæ; nulla tamen eſt in Deo Mentis & Perſonæ multiplicata Entitas, cum illic omnia Ens indiviſim *unum* ſint, hócq; ſimpliciſſimum, quapropter & expers veræ cujuſcunq; compoſitionis. Ubi autem omnia ſunt unum (unitate adeo perfectâ,) *Mentem* & *Perſonam* aliud reverà & aliud eſſe, prorſus implicat. *Mens* illic eſt neceſſariò *Perſona*, & *Perſona Mens*, ubi quicquid reperitur unum perfectiſſimè infinitúmq; eſt: neutrum enim ità eſſet, ſi vel compoſitum vel multiplex. Hinc, ſed tantùm hinc, nulla in Deo eſt *Mentis* ac *Perſonæ* diſtinctio, identificatis reipsâ Divinis omnibus, & in ſimpliciſſimam (quæ Deus ipſe eſt) coaleſcentibus unitatem. At verò hujuſmodi Unitatis perfectionem comprehenſionémq; infinitam quis præter Deum ipſum unâ & ſimplici intellectione capiat, comprehendat, imò & cognoſcat mediocriter, nulla cum detur inter *Objectum* infinitè perfectum finitámque *facultatem* proportio? Ignoranda igitur nobis quæcunq; Dei ſunt, vel diſtinctis inadæquatiſq; intelligenda conceptibus. *Juſtúmne* illum eodem concipis quo *Miſericordem*, *amore* proſequentem & *odio*, *manſuetum* ac *iratum*? Eodémne Filium quo Deum, aut quo Patrem? Si verò nemo noſtrùm par eſt iſtis conatibus, an *Mentem* illic & *Perſonam* ipſiſſimâ conditione ſua ità diſcrepantes uno eodémque conceptu ſatis intelligas? Eáne tibi vis cogitandi, eáne imaginandi fælicitas, hócne acumen, ut uno intuitu ſimplicíq; ac indiſtincta imagine res percipere poſſis adeo diſtinctas, præciſiſq; ſuis diverſiſſimas rationibus *Communæ* & *Proprium*, *Abſolutum* ac *Relativum*, *Eſſendi* rationem & *Subſiſtendi*, *Mentem* nimirum & *Perſonam*, *Ternario* hanc in Divinis celebrem numero, illam *Unitate*; hincq; ità diverſas, ut ipſemet *tribus* his

in

in Deo *mentibus* unitatem ſerves aliquam, *Perſonis* quamlibet neges? Licèt enim, *tres mentes* illas unam (complexè ſaltem) credáſq; doceáſque, *tres* tamen *Perſonas* nullibi ad unam ex profeſſo contrahis, nec velles (ut opinor) ſciens contrahere. Quæ ſi ſola eſſet Mentis ac Perſonæ differentia, hinc ſatis inter eas ſynonymiæ tuæ periret ambitio, nullóq; *Mens* prò *Perſonâ* alio jure diceretur, niſi quo Decreti Oxonienſis Examen inſcripſiſti *Modeſtum*; opúſq; aliud, *Trinitatis Vindicationem*. His liquet titulis, quantus ſis Rhetor, & Elegantiarum Antonomaſticè peritus.

Quibuſcunq; autem Decreti Anathemata convitiis repreſſa fuerint, ne vel ipſi indignentur Judices; pudori ſimul & dolori dandum eſt aliquid. Non unum percuſſit te fulmen; obruère multa: *Falſitas* objecta eſt, *Impietas*, *Hæreſis*, hæq; dilectiſſimo *Dogmati*, & hinc authoritate Publicâ damnato: An ita impune ferat Examinator quiſquam vel te *Modeſtior?* ísq; præſertim qui non modò convitiis, ſed & argumentis contra Decretum ipſum Senatúmq; Academicum prodire armatiſſimus potuit; convitia omitto, quæ nemini plùs nocent quàm Inferenti; ad argumenta, totus veniam, ſed *modeſtiori* examine; quo nec opus erat, meíſq; ſolutionibus, ſi vel legiſſes (ut decuit) Animadverſorem. Legi te ipſe accuratiùs, qua propter & in refutandis rationibus tuis eam ferè ſequar Methodum quam in opponendis ſecutus es, Primò communibus, deinde propriis. *Communes* dico, quibus dogma tuum ab imputatâ culpâ quâlibet pariter excuſas, (*hæreſeos* non minùs quàm & *falſitatis* & *impietatis*) *Proprias* autem, quibus ſigillatim & à ſingulis.

Hâc Primùm igitur *communi* uteris defenſione, nullam ſcilicet quibuſcunq; hujuſmodi criminibus damnari debuiſſe verborum formulam, quæ ſenſum nullum aut neceſſariò aut evidenter *falſum*, *impium*, *hæreticúmve* contineat, quæcunq; fuerit vocum novitas & periculoſa interpretatio; quantumvis etiam publicâ authoritate careant. Concedantur, (ſi vis) gratis tamen, hæc tibi omnia. Sed an melior indè trium illarum *Mentium* aut cauſa aut conditio? Nihilne *falſi*, *impii*, *ac hæretici* in iſtâ loquendi novâ formulâ, *Tres* ſcilicet *ſunt in Deo diſtinctæ Mentes?* Tritheïſmum quæſo conſule tibi hinc imputatum; quid *falsò*, quid *impiè*, quid *hæreticè*, dici potuit apertius, ſi qua Authori fides, ut & ſigillatim ſuis infrà locis

demonſtrabitur. Imò & hactenus patet ex hâc ipsâ defenſione tuâ damnandum quòcunq; iſto crimine dogma illud tuum. O miſeram igitur defenſionem, quæ te perdit, & Decreto quòvis atrociùs!

Neq; formulam iſtam fœliciùs honeſtiúſq; ibidem excuſas, cum ne vel ullam, quæ favere videatur hæreſi, eſſe hôc nomine vitandam doces aut rejiciendam, dummodo fides Catholica ſecurior indè poſſit fieri; quod & familiaris tui *Homoouſion* Exemplo eâ quâ ſoles demonſtras paritate. Neſcio an te uſquam, ſed me ubiq; pudet, conferri toties vocem hanc ſanctiſſimam utiliſſimámq; cum profanis & noxiis. Nulla olim fuit aptior quæ contra Arianos Trinitatis fidem ſtabiliret quàm illa ipſa, quâ Patris & Filii una eadémq; ſignificaretur ſubſtantia: *tribus* autem tuis in Deo *Mentibus* ſæpe jam audiſti quàm periclitetur illud myſterium. Verùm tamen quia ſemper licuit, ad explicandam firmandámq; fidem, verbis etiam uti nuſquam Biblicis; hoc neq; tuis denegandum putas, quantumvis & obtenebrent fidem & concutiant. Aptioribus non carebit, ſpero, ſi unquam indigeat; licétq; meliora tuis excogitaret nemo, ſaltem nec ullus pejora. Quâ fronte igitur dici potuit haud minùs ad detegendum impugnandúmq; ætatis noſtræ *Sabellianiſmum* prodeſſe *tres* illas *mentes* quàm adverſùs Arianiſmi inſidias Nicænum quondam Homoouſion? amove, quæſo, comparationes ejuſmodi; nulla nempe aut exoſa aut iniqua magis.

Ac verè parem aliunde vindicas & Nicænæ & Tuæ formulæ authoritatem, hincq; potiſſimùm, quòd licet utramq; ſcriptura neſciat, utramq; tamen ſuis pariter confirmet Oraculis. Hîc fateor, Bone Vir, vix me contineo. An *tres* tuas in Deo *Mentes* eâ unquam ex Bibliis omnibus perſpicuitate probes, quâ ex iiſdem ſuum Patres *Homoouſion*? Nonne apertiſſime indicat ſcriptura ex æqualitate Filii cum Patre, ex utriuſq; circumincеſſione, ex ſuis ipſis nominibus, innumeriſq; hujuſmodi argumentis ſignifq; certiſſimis, utrumq; *ejuſdem* eſſe *ſubſtantiæ*, *Homoouſion* ſcilicet? An autem ullibi, vel tantillùm, inſinuat *tres* eſſe in Deo *diſtinctas mentes*? Num fortè cum eum ſingulariter vocat *ſpiritum*, aut cum ubiq; *unum* verè Deum prædicat? Aut cum illic Chriſtus ipſe aſſerit ſe & Patrem *unum* eſſe? aut cum apud Johannem ſic legitur, *tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus*; &

hi

bi tres unum sunt? Non εἰς τὸ ἕν (ut statim de tribus aliis dicitur) sed ἕν: non *in unum*, sed *unum*; quod unitatem Naturæ, proindeq; Mentis, arguit simplicissimam. *Trésne* igitur in Deo *Mentes* paribus è Scripturâ probantur testimoniis ac Homoousion? Cave (si sapis) ne impostorum, disputaturus à *Simili* tam *absimilia* simul conferas.

Huic tamen *trium* in Deo *Mentium* assertioni faviſſe præsumis Orthodoxos Patres, saltemq; hinc non esse ab illis dissonam, & Catholicæ contrariam Ecclesiæ; quod in Decreto pars etiam Censuræ fuit. Patres (quæso) profer qui *tres* illas *Mentes* apertè doceant, si non conceptis terminis, saltem æquipollentibus; & ipse tecum initâ confestim gratiâ damnabo qui te damnaverunt. Anne Augustinus? Quem his induxisti loquentem verbis; *Pater est Spiritus, Filius est Spiritus, Spiritus Sanctus est Spiritus; non multi tamen Spiritus sunt, sed unus Spiritus.* Quem ex Patribus testem induces alium, qui *tres* in Deo *Mentes* enumeret? Athanasium forte, qui in Trinitate *Personali, essentialem* ubiq; profitetur Unitatem. Profer ex Latinis Patrem ullum, ex Græcis profer, qui tecum in illâ *Mentium* multiplicatione quocunq; modo consentiat; nisi inter Patres numeraveris Valentinum illum (tam Re quam Nomine) Gentilem; aut Gerlebrardum, Gentilitatis ejus protectorem, Reformationisq; hostem virulentissimum; aut Curcellæum quendam, hujusmodi huper apud Batavos infamem erroribus. Tuos ecce Augustinos & Athanasios; Tuos ecce, non modò Patres sed & Patriarchas, *triumq;* tibi in Deo *Mentium* Authores præcipuos: Et id ad opinionem omnino Catholicam plus satis sufficisse contendis, quicquid veterum doctrina Patrum dissentiat, totúsq; ex adverso reclamet Ecclesiæ Authoritas.

Imò & miraris *tribus* illis in Deo *Mentibus* offendi quemquam, quasi Tritheismum inferrent, aut ad Dei Unitatem pertineret ejusmodi disputatio. Sanúsne es, qui hæc objicis? Nihil ergo periclitatur Unitas, admisso numero, hocq; ejusdem denominationis; tuta est cum destruitur tota, eadem cum unâ vel tribus Mentibus; quasi Mentium Multiplicatione haud magis quàm Personarum ipsa Dei Natura multiplicaretur, cum naturam illam *Mens* constituat, *Personæ* tantùm referant. Hinc vides quid *trium* in Deo *Mentium* causam hactenus juveris; quid opinionem tam tot argumenta promove-

rint; & an minùs *falsa*, *impia*, & *hæretica* videatur. Sed difficile fuit tanta simul excusari: cedet fortasse res tibi melius, cum nunc singula defendes, propriisq; suis rationibus quælibet. Experiamur.

I. Falsitas, quod primum dogmatis tui vitium objectum est, primam quoq; in defensione obtinuit partem: Sed à me vix obtineo ipse, quin tecum hîc expostulem, qui statim à limine cespites, errorémq; excusas alio, hujus & toties ab Animadversore monitus. Tres nempe dari in Deo *Mentes* maximè hinc probas, quòd *Persona* in Trinitate quælibet *Mens* (ut ais) distincta sit. Dictum autem hoc gratis, petisq; parum Logicè, principium; dum id supponis ab initio, quod totius Disputationis ipsissima quæstio est. Nam quis in Deo *tres* negârit *Mentes*, si ex confesso quævis illic *Persona* Mens distincta haberetur? Nonne hinc tres Personæ, quòd sigillatim distincta quævis? Subjectum enim suum distinctio multiplicat; ut si quælibet Persona distinctus crederetur Deus, non pauciores numerarentur Dii quàm Personæ. Pro concesso igitur habes quod maximè probandum fuit, Personam nimirum in Deo quamcunq; Mentem esse distinctam; hoc enim negat quisquis Orthodoxè sapit. Persona quidem distincta quælibet, non modò *distinctè Mens* est, verùm etiam (si vis) *distinctissimè*; at verò non *Mens distincta*; tota quippe hîc distinctio in *Personam*, non in *Mentem* cadit, cum ex parte Subjecti se teneat, non Prædicati; ut ex ipsâ propositionis conditione satis ipse intelliges, non dicam, si *Logicè* quicquam sapias, sed velis sapere: Multa scilicet non possumus, quia nolumus; hócq; præsertim sectarum Primipilis accidere solet. Meliora tamen de te sentio, ut qui potiùs ex *infirmitate* erres quàm ex *voluntate*. Id autem manifestum fiet si ab errore ad veritatem animo tandem docili respiscas, nec minùs post lectum in re Theologicâ tuum Animadversorem quàm Authorem nuper alium in Politicâ; ut non semel de te dictum fuerit, *O quàm mutatus ab illo!* Nunc fortè quidem Beneficio minori, sed non Laude. Laus nulla Augustini major quàm ex hujusmodi retractatis erroribus. Vinci nobile est victrice veritate; turpiter vinceres, si pro mendacio. Ne te pudeat Dogmatis falsitatem agnoscere, quod defendere rationibus nequeas nisi falsissimis. Ut autem fraus illa securior lateat, involvis eam multâ veritatis specie, quæ nihil ad rem nisi ut

decipiat

decipiat. Tecum fateor Dei filium Deum esse, Substantiale verbum esse, Substantialem Patris Sapientiam, Mentem infinitam, Spiritum infinitum. Tecum etiam fateor Spiritum Sanctum Deum esse, Spiritum æternum, Mentem æternam infinitámq; sicut & Patrem ipsum: Sed quorsum hæc omnia, nisi ut cautiùs inferatur verbulum, quod veneno suo totam illam inficiat Orthodoxiam? Rectè omnino dixeras Personam in Deo quamlibet æternam *Mentem* esse, atq; infinitam, cur & *distinctam* addis, imò & quasi ex confesso mutuâq; Partium concessione? Extra enim controversiam omnem supponis Personam in Deo quamlibet *Mentem* esse *distinctam*: tres tamen negari quidem mentes, unámq; asseri, sed loquendi more inter Catholicos potiùs quàm ipsâ rei veritate. Quæso an sincerè ista aut ignoranter objicis? utut sit, hanc nemo excuset audaciam, ferè impudentiam dixi. Túne ergo universam loqui jam doceas Ecclesiam? Túne Catholicos omnes artis Dialecticæ tam rudes imperitósq; existimas, ut cum Divinam quamlibet Personam *mentem* esse *distinctam* (ut ais) præmiserint, tres tamen illas Personas Mentem tamen esse unicam? Pari ergo argumentandi peritiâ, si dixerimus Patrem esse distinctum Deum, Filium quoq; distinctum Deum, Spiritum Sanctum etiam distinctum Deum, nos putas dicturos contra omnem Logicam & sensum, Deum tamen unum esse? At quomodo unus qui distinctè tres in eâdem denominatione? Dicendum quis non videt post præmissam falsò illam Dei in quâvis Personâ distinctionem, tres Personas tres esse Deos? Et hæc est adversùm te, in *Tritheismo*, Animadversoris Logica, & argumentandi ratio: Nec unquam ejusmodi conclusionis vim eludes, nisi in præmissis cautiùs distinguas, ità ut in Personas tantùm, quæ solæ in Deo multiplicandæ sunt, cadat distinctio: quia nempe hæc sola realiter distingui oportet quæ & licet multiplicari. Quapropter, quem hîc citas Augustinum, ut tres *Personas* concluderet non *tres* esse *Spiritus* sed unum, tecum non præmisit *quamlibet Personam distinctum esse Spiritum*, sed solummodo *Spiritum* esse, & absque ullâ saltem distinctione quæ in Spiritum caderet. Poterat enim idem omnino concludere, quanquam præmisisset, quæ in Personas caderet, distinctionem: nam & si dixero Pater est distinctè Spiritus, Filius distinctè, Spiritus Sanctus distinctè; cùm illa distinctio Personarum sit, nihil nisi Personas multiplicat.

Vix

Vix tamen post Catholicam conclusionem suam Augustinus effugiet (te Judice) Sabellianismum nisi negatis *tribus* in Deo *Spiritibus*, tres saltem asserat Spiritus Personales: quisquis enim cum de Personis agitur, unicum profitetur esse Spiritum (unam Mentem), ille tibi Sabellianus est; Mentis nimirum istiusmodi Unitas unicam Judice te arguit Personam; Mens enim (inquis) personalis Unica Persona est. Cave, Sophista parum Catholice, ne te aliósq; perdas istis fallaciis captiosísq; vocibus. Quis te Patrum, quis Theologorum ità instituit? Quid per illam intelligis *Personalem Mentem*? An Deum vel Divinam Personam? Si Deum; timeo tibi à Quaternitariorum errore, qui Personalitatem Deo (seu Deitati) adscribentes, Personas quatuor Divinas professi sunt. Si autem Personam Divinam (ut hic satis patet), quid ergo jam fiet de tuâ Mentis & Personæ æquipollentiâ & Synonymiâ? Non enim Persona tibi duntaxat *Mens* nunc est, sed *Mens Personalis*, Mens cum adjecto & hôc Personali; quod propterea manifestè indicat, Mentem essentialiter non esse Personam, imò nec Personalem; cum hoc sibi jam constitutæ quasi forinsecus accedat, suæq; naturæ adjiciatur, unde & in ratione Mentis potest concipi, nullâ concepta Personalitate: Synonyma autem & æquipollentia simul concipiuntur; eorum nempe cum sit eadem significatio, eadem & imago est, idea prorsus eadem; adæquatè enim convertuntur prædicatione mutuâ, ità ut si *Mens* & *Persona* Synonymè convenirent, Menti nihil minus esset quàm Personæ, nec plus Personæ quàm Menti; quod tamen ipse falsissimum demonstras, cum Personam dicis, non *Mentem* modò, sed cum adjecto *Mentem Personalem*. Hoc autem vel Personæ (ut sic) definitio est; vel ejusdem (ut nomen est concretum) resolutio. Si definitio, ineptissima videtur, quæ rem nimirum explicat per aliquid non ipsâ notius: quis enim Personale novit, qui nescit Personam? Ineptior adhuc, cujus pars adæquat totum definitum, Mens Personam ipsam, ex Synonymiæ tuæ hypothesi; nam te tuis armis opprimo. Si autem Personæ Definitio non fuit, sed ejusdem (ut concreti) resolutio; Mens illic ut subjectum se habet, Personalis ut Forma è subjecto nimirum abstracta. Persona ergo quæ ex utroq; composita in utrumq; resolvitur, parsne esse potest suæ compositionis aut resolutionis, quæ ipsissimum est & compositum & resolutum? Esset igitur pars sui ipsius;

pars

pars & totum simul. Hæc tamen necessario sequerentur omnia, si factis Mente & Personâ Synonymis, Personam liceat in Mentem resolvere Personalem; nec absurdiùs Mentem ipsam resolveres in Personam Mentalem: Synonymorum enim fit eadem conversio; nec minùs in Synonymiæ tuæ hypothesi Mens est Persona Mentalis, quàm Persona ipsa Mens Personalis. Crassior hîc ubiq; fuit absurditas, cujus vel te non puderet, aut quam non perciperes ipse. Restitutâ igitur Menti significatione suâ, ens cogitans illam definisti, & rectè; sed quo propositò? non recto. Ut *tres* nempe *distinctas Adentes* in Deo concludas. Quâ autem Logicâ id fiat? Eâ proculdubio quæ tibi familiaris est, quámq; toties laudavit more suo in Syllogismis tuis Animadversor: sed utut erit, audiamus. Positâ igitur (inquis) mentis definitione, quòd nempe sit *Ens cogitans*: ubicunq; occurrerint intellectuales actus, Mentem illic adesse necessariò inferetur: (hactenus rectè). Ubicunq; verò distincti Personales actus ejusmodi, distinctæ illic etiam consequenter Mentes Personales: hoc non rectè. Licèt enim Persona in Deo quælibet suos habeat distinctos actus; distinctio illa, non Mentium sed Personarum, argnit distinctionem. Quicquid nimirum est ab eodem Deo, est ab eâdem Mente; Mens enim & Deus sunt idem Ens cogitans; quod proinde multiplicari non potest, nisi Deo etiam multiplicato, pariter ac mente. Tres quidem illic sint cogitantes, tres nempe Personæ; unum autem cogitans, quod vel Deum vel Mentem perinde dixeris. Intellectione cum Filius gignitur, actus ille Patris est, actus Dei Patris, ut & actus hujus Mentis personalis, actúsq; ab eo distinctus, quo se ipsum Filius intelligit: non quòd Mentis distinctæ sit, sed Personæ, diverso etiam successu intelligentis; ità ut Mens eadem quæ suâ in Patre intellectione producit Filium, nihil in Filio producat; ideóq; & diversum in alterutro sortiatur nomen: in Filio Intellectio mera, Dictio etiam in Patre. Imò & apud Scholam, Intellectio illa ut Patris est, Personalis quidem actus dicitur; sed ut est Filii, actus Essentialis; ut denotetur Mentis ejusdem esse, quanquam non Personæ. Personales enim ii soli habentur qui & Notionales, quibúsve peculiariter singula quæq; Persona discernitur: aut qui communes saltem non sunt omnibus; qualis Spiratio quæ Patris est duntaxat & Filii. Actus quilibet alius (etiam ad intra, ut vocant) inter Essentiales numerari

rari ſolet, propter commune agendi principium & rationem communem. At verò cum tibi in Divinis cuncta ſint propria, diſtinctæq; non minùs eſſentiæ quàm Perſonæ; Communia illic tibi nulla eſſe poſſunt, principium agendi commune nullum, communis ratio nulla; ideóq; actus illic nullus præter Perſonalem; Filii, perinde ac Patris, intellectio ipſa.

Verbulum hujuſmodi ab Animadverſoris pennâ exciderat; (nec temere; veriſſimo námq; ſenſu, híncq; diverſiſſimo) quantas in eum tamen turbas à Mercenario quodam Rabula tuo excitatas audivimus! Expiari non poterat crimen illud, falſiſſimè licèt imputatum. Tanquam ad hæreſin omni Scholarum anathemate dignam, exclamabatur, *tribúſq;* in Deo *Mentibus* certiorem longè Tritheiſmum. Revocabo tibi in memoriam, quid hoc monſtri fuit. Perſonam conſtitui dixeras ſuî ipſius cognitione, háncq; Perſonalitatis formalem omnino eſſe rationem. Objiciebat Animadverſor Perſonam non poſſe eo conſtitui actu quem præceſſit, quíq; habet ab ipſâmet Perſonâ ut Perſonalis dicatur, cum indè habeat ut ſit actus Perſonæ. Si enim Perſona nondum conſtituta eſſet, actus quicunq; fieret, ſubſtantialis diceretur, editus nempe à ſubſtantiâ non ſubſiſtente. Ut autem ſubſiſtentialis fiat actus ille, dicatúrq; Perſonalis, accedat oportet ſubſtantiæ rationali ſubſiſtentia, & hinc fit Perſona, ex quâ ſequuntur Perſonales actus, ab eſſentialibus diſtincti, qui naturæ fuerant nondum ſubſiſtentis. Sic enim Perſonales Eſſentialéſq; actus in illâ diſtinguendi erant diſputatione. In hâc autem noſtrâ cum eos Theologi diſtinguunt, per actum Perſonalem hunc tantùm volunt intelligi, qui Perſonam cujus eſt indicat: per Eſſentialem verò intelligunt eum, qui licèt Perſonæ ſit, ità quoq; & aliarum eſt, ut non indicet virtutem propriam ſed omnibus communem; ideóq; non Perſonalem ſed Eſſentialem. Hinc patet quàm rectè Perſonales eos actus Animadverſor dixerit, quos tu ipſe alio ſenſu Perſonales etiam imperitiſſimè vocas. Quemcunq; enim in Deo Actum ità vis eſſe Perſonalem, ut nullus Eſſentialis ſit, nullus à communi Principio, ſed à propriâ potentiâ quilibet. Nam in Hypotheſi tuâ omnis Actus Perſonalis Perſonalem ſupponit potentiam, Perſonalem Mentem, ergò & Naturam & Eſſentiam, proindéq; & Deitatem. In quâlibet igitur Divinâ Perſonâ cum ſint actus diſtincti Perſonales, diſtinctæ quoq;

ex

ex te Potentiæ, diſtinctæ & Mentes; admittas igitur oportet Naturas diſtinctas, diſtinctas Eſſentias, diſtinctos Deos: Nec Animadverſoris eſt conſequentia iſta, nec Senatûs Oxonienſis, nec etiam mea, aut ſuſpecti cujuſcunq; argumentatoris, Sophiſtæq; invidi: ipſum Sophiſtam tuum J. B. conſule, ipſam apud eum vindicationem tuam perlege; illic ſemel atq; iterum videbis adversùm te meritiſſimum inferenda hæc omnia, quæ adversùs immeritiſſimum Animadverſorem inferebat. Tanta vis eſt Veritatis, ut à Mendacii defenſore etiam prodeat! Sed remiſſiùs tecum agitur, Divinorum amplificator, cum ex diſtinctis Perſonalibus illis in Deo Mentibus tot tantáq; adversùm te inferuntur; plura hinc horrendáq; magis illata ſenties, cum dogmatis tui vel *impietas* vel *hæreſis* ſuo quælibet loco examinabitur inferiùs: hæc tamen eſt modeſtia tua ut etiam à falſitate novis illud excuſes argumentis, quod nec à vitiis longè gravioribus argumenta ulla excuſabunt.

En & Logicæ tuæ te ipſo digniſſimum adhuc ſpecimen; nam ut pro tribus in Deo diſtinctis mentibus pugnam inſtaures, hoc armatus Achille redis in aciem; nec ſine auxiliaribus illis Perſonalium Actuum copiis, quibus olim adversùs Sabellium uſos fuiſſe objicis Patres, ut realem nimirum ſubſtantialémq; in uno Deo Perſonarum diſtinctionem demonſtrarent: cum enim mutua ſit Actuum illorum ex oppoſito relatio, diſtinctis opus eſt Perſonis, quibus ut ſubjectis recipiantur. Dignæ hactenus ſuis Authoribus Præmiſſæ! Sed concluſioni metuo, te argumentante. Experiar tamen. Quotquot (inquis) actus hîc memorant Patres, non *Mentis* minùs quàm *Perſonæ* ſunt; hinc ergo ſi quid probetur, diſtinguendis *Mentibus* pariter ac *Perſonis* favet. O Logicum caput! quaſi *Mentis* & *Perſonæ* eadem ſit conditio, & pari multiplicetur neceſſitate, quod *abſolutum* & quod *Relativum*, cujus natura ipſa eſt ad aliud eſſe proindéq; unitati repugnat; nihil enim ad ſeipſum refertur. Arguis tamen, (& dignè quidem te Ariſtotele) non minùs pugnare cum abſolutis *unum eſſe* quàm cum ipſis relativis; non menti Divinæ minùs quàm Perſonæ. Ecce quibus apud te fundamentis nititur *diſtinctarum* in Deo *Mentium Trinitas*. Quis præter te Logicóſq; tui ſimiles eam diu ſtare poſſe ſperaverit? Nonne quod abſolutum eſt, poteſt ſaltem unum ſolúmque concipi? Nonne ſic Deus (quod nomen relationis non eſt) unus & concipitur & eſt?

At Pater non poteſt eſſe neq; concipi, quin aut ſit cum eo Filius aut concipiatur. Relata enim ſunt ſimul naturâ; poſito quippe Relato, ponitur hoc ipſo & correlatum; & ſic Relatio nomen eſt pluralitatis. Quapropter nemo præter te & Philoſophus & Theologus *Mentem* in Deo & *Perſonam* æqualiter vel unam vel plures dixerit, totidémq; ad oppoſitos actus ſubjectivè recipiendos mentes requiri quot perſonas; cum id intercedat diſcriminis, quòd *Mens* nimirum, quæ *abſolutum* nomen eſt, poſſit eſſe commune ſubjectum; *Perſona* in Deo non poſſit, quæ illic *relationum* creditur, proindèq; ſubjectum ità proprium, ut oppoſitis repugnet actibus. Hoc etiam diſcrimen Patres manifeſtè indicant, cum ex illis actibus oppoſitis, plures Perſonas; non plures Mentes, contra Sabellium arguunt; quas tamen & argui oportuerat, ſi tecum in Deo *Mentes* ut & Perſonas multiplicaſſent: ſed Arithmeticæ ignari tuæ, Mentem in ſingulari, in plurali Perſonas, conſtantiſſimè unanimiterq; dixerunt; Lexico nempe tuo nondum uſi, quo Synonymæ Voces illæ (Dictionariis invitis omnibus aliis) pleno jure declarantur.

At juris ejuſdem authoritate aſſeris, nihil aliud Perſonæ nomine à Patribus ipſis cum Sabellio diſputantibus, præter id quod Mentis nomen ſignificat, intellectum unquam fuiſſe. Licèt enim rationem addas authoritati, ratio illa rem non magis probat quàm tuæ ferè omnes ſolent. Sabellio commune fuit (inquis) ſimul & Patribus Perſonam ità explicare, ut verum perfectúmq; Deum ſignificaret, realémq; idcirco (imò & realiſſimam) ſubſtantiam, infinitam ſcilicet Mentem ſeu Spiritum. Quæſo ſicne intelligis Patres, ut eos pro Catholicis Sabellianos facias? Potuit quidem fieri ut hoc idem loquerentur cum Sabellio, ſed non eo ſenſu, quo Sabellius, hæretico nempe. Audies diſcrimen. Sabellio & Patribus Perſona Divina verus quidem eſt perfectúſq; Deus: Sed quomodo verus perfectúſq; Deus? adæquatè Sabellio, Patribus inadæquatè. Perſonam enim Divinam ità adæquare Deo ut ſola ſit, quemadmodum & ille ſolus, hæreticum eſt; eam autem pro Deo habere, ſed non ſolam, eſt Orthodoxum. Quælibet enim Deus eſt & totus; ſed non totaliter: totaliter nempe illa ſunt eadem, quorum eſt mutua de ſe invicem prædicatio; Deus autem de Perſonâ Divinâ rectè prædicatur, non viciſſim de Deo Perſona. Orthodoxus enim quivis de Perſonâ dixerit,

dixerit, eam Deum esse; de Deo autem, quod sit Persona, nemo nisi Sabellianus. Cum de Personis igitur & Patres & Sabellium idem sensisse tu solus magisteriali ter æquè ac falsò doceas, vel ex Patribus facis Hæreticos, vel ex Sabellianis Orthodoxos. Quid autem ex te? nescio; forsan & nescis ipse; adeo undequaq; involveris. Cum enim hæc tria [Persona, Mens, Deus] synonymè tibi significent, (non modò authore Sabellio, sed ipsis etiam, ut putas, Patribus) attende quid hinc necessariò inferendum videatur: nimirum vel unicam esse Personam, uti & unus est Deus; vel tres esse Deos, ut tres sunt Personæ: quod te urget utrinque Dilemma plùs nimis; nec facilè Scyllam effugias, quin incidas in Charybdim. Hanc deinde & Personæ & Dei & Mentis induxisti synonymiam, ut ex concessâ (inter Orthodoxos) Personarum multiplicatione, eodem quoq; numero & Mentes multiplicarentur. Nonne ergo pari saltem & jure & consequentiâ ex tribus non modò Personis sed & *Mentibus* tres quoq; inferentur Dû? Cum hæc autem necessitate Logicâ sequi videas, eadémq; tamen ipsemet improbes, an te à falsitatis excusabunt crimine tot falsissima, quibus hactenus defensus es, argumenta?

Nec tribus distinctis in Deo Mentibus tutius aliunde speres patrocinium; non ex eâ præsertim, quâ vidéris uti, fraude, cum unam nobis *Solitariam* Mentem objicis, quæ distinctorum relativéq; oppositorum actuum sedes esse revera non possit. Mentem enim non admittimus in Deo *Solitariam*, quantumlibet unam, singularem, *solámq;* profiteamur. Divina mens non potest esse *solitaria* magis quàm Deus ipse *Solitarius* est, cum & te ipso & re ipsâ synonymè conveniant. Deus autem, *solus* licèt, *solitarius* non est; quod & si Patres non docuissent nos, te ipso sciremus Magistro, in tuâ scilicet adversùs Animadversorem Defensione. Cur ergo nunc fingis, quam objicias, Mentem in Deo *solitariam?* Saltem non eam nobis, sed Sabellianis objice. Solam quidem illi *solitariámq;* profitebantur, utpote qui Personam in Deo unam & singularem. Nos verò qui tres in Deo Personas credimus, credimúsne eum *solitarium* aut Mentem ejus *solitariam?* Nullum solitudo admittit consortium, neq; consortium solitudinem. An *solitariè* vivitur, ubi tres simul inseparabiles Personæ, indivisibiles, imò & in unam conjunctissimæ naturam, Essen-

tiam, Subſtantiam, Mentem quoq; (ſi per te liceat) reperiuntur? Quid ſolitarium ſit cum tantâ Societate, Communione, quin etiam circum-inceſſione? Sed nec fingis modò Mentem illam eſſe *ſolitariam*, fingis & diſtinctorum relativeq; oppoſitorum ſedem actuum eſſe. At verò Mens propriè, formaliter, immediatéque ſedes iſta non eſt, aut ſubjectum quod vocant. Actus enim illi in Perſonis ipſis recipiuntur, utì & ab ipſis oriuntur Perſonis. Hanc nempe ſcire debueras actuum eſſe naturam immanentium (quales in Deo ad intra ſunt omnes) ut quod habuere principium, idem & ſubjectum habeant. Perſonales ergo Actus, cum ſint immanentes & à Perſonis ipſis editi, in Perſonis recipiantur neceſſe eſt. Pater, ut principium *quod*, generat Filium; Mens ipſa (quæ & *Divina Eſſentia*) ſolummodo ut principium *quo*. Perſona igitur Actuum ejuſmodi proprium & ſubjectum, utì & principium. Quicquid Mens eſt, commune eſt; proindéq; Actuum omnium idem (ſuo modo, remotè ſcilicet) ut & principium, ità & ſubjectum ipſum. Quænam ergo hujus multiplicandi neceſſitas, cum ex infinitâ perfectione ſuâ ſuáq; abſolutâ & irrelativâ conditione, omnibus & ſingulis abunde ſufficiat, ut & Perſonarum diſtinctio ad Actuum diſtinctionem? Nulla igitur hactenus trium in Deo Mentium neceſſitas; eáq; nec ipſa, quam hîc præſumpſeras *ineluctabilem*, falsâ deluſus Perſonalium Actuum eorúmq; ſubjecti opinione, Mentiſque Divinæ ejúſq; capacitatis ignorantiâ.

Peritiorem quoq; non te præbes in Perſonarum cognitione quàm & Mentis, cum ex adæquatâ tuâ Mentis & Perſonæ menſurâ mutuâ, unam diſtinctis illis quibuſcunq; actibus ſufficere poſſe argnis Perſonam, ſi & Mens una ſuffecerit. Actus enim perſonaliter ac relative oppoſitos contradictoriè implicat ejuſdem eſſe formaliter Perſonæ, contentos eodem & Subjecto & Principio: ità ut Pater ſit ſuus ipſe Filius, aut Filius Pater; gignat qui gignitur, gignatur qui gignit. Mentem verò, quæ relatis ipſis (ex naturâ ſuâ abſolutâ) communis eſt, nihil implicat oppoſitæ Relationis quodammodo fieri Subjectum, Perſonalibúſq; diſtinctis actibus (ut ità dicam) ſinum aperire, quo aliquatenus recipiantur. Quid enim poſſit in Perſonis eſſe, quod non & in Mente cum ipſis Perſonis omnibus identificatâ? Patet hinc ita q; Perſonam & Mentem non ità viciſſim commenſurari, ut ubicunq; Mens una

ſufficit,

ſufficit, ſufficiat & una perſona; aut multiplicatis neceſſariò Perſonis, Mens conſequenter multiplicanda ſit.

At niſi *tres* in Deo *Mentes* tibi concedantur, non habes quod in Sabellium pro tribus urgeas Perſonis; neq; quo defendas in Deo Trinitatem, niſi oppreſsâ Unitate. O miſellum ſanè Theologum qui te intra hujus dilemmatis vanas Chimæricáſq; anguſtias tam facilè incluſiſti! Sabellianiſmus (medico te) curari non poteſt niſi Tritheïſmo: fias ethnicus oportet, ne ſis Hæreticus. Quis enim cum *tribus diſtinctis infinitisq; Mentibus* Deitatis Unitatem ſervet? Eſtne Deus verè ac ſummè ſimplex, (qualem eum, ut verè ſit Deus, oportet eſſe) ſi naturis conſtet pluribus? Mentem nimirum naturam ejus eſſe negaverit nemo, niſi qui & Spiritum eum ipſum neget. At inter Mentem & Corpus media nulla eſt ſubſtantia. Corpus autem (ſat ſcio) Deum non facis, qui eum non Mentem modò, ſed & Mentes, imò & *tres Mentes*: quanquam non eo forte conſilio, ut contra Orthodoxam Fidem ſint tibi tres Dù, ſed ut contra Sabellianam Hæreſim tres Perſonæ, réq, ipsâ diſtinctæ, nec officiis duntaxat aut nominibus; realem quippe non exiſtimas dari poſſe Perſonarum Trinitatem, quin & Mentium detur; nec aliunde confutari Sabellium, niſi ex tribus ejuſmodi Subſtantiis. O infœliciſſimos Sabellianis illis temporibus Patres, qui hujuſce confutationis neſcierunt artem, te nempe Magiſtro deſtituti! Quàm facilè Hæreticum illum (pertinaciſſimum licèt) ad trium Perſonarum fidem impuliſſent! Erroris ejus duplex cauſa fuit, & utramq; ſtatim amovet hypotheſis tua. Tres à Patribus audiverat in Deo Perſonas, unámq; Mentem; & hoc ipſi, monſtro ſimile, videbatur, cum inter Angelos Hominéſq; ſit idem Mentium numerus, qui & Perſonarum; (hæc prima Sabellio errandi cauſa:) firmaverat exempla ratio; ſecúmq; habuit, contra Perſonales meros Trinitarios, Univerſa ſuffragia Philoſophiæ; quæ ſuam Perſonæ creatæ cuilibet Mentem tribuerat, & utramq; ſemper pari auxerat numero. Hinc (& hinc maximè) ſolam Perſonarum multiplicationem impugnabat Sabellius. Quis autem ex Sherlocianis tuis hanc Hæretici pertinaciam non excuſet, ità cum Perſonis Mentes pariter multiplicandas eos docuiſti, ſicut & cum ipſis Mentibus Perſonas? Quàm docilem habuiſſes diſcipulum, Sabellianum quemlibet; ni fortè contra Realem quamcunq; obſtinaciùs contendiſſet Trinitatem. Hæc enim

altera

altera fuit Erroris Sabelliani causa, quanquam ex timore quidem religiosissimo, ne scilicet, ex realî quavis in Deo multitudine, Deorum etiam multitudo fieret. Si autem ex tribus Personis id metuebatur, ex totidem quanto magis timuissent Mentibus Sabelliani omnes, nullâ in Deo jam unitate relictâ. Caverunt imprimis itaq; Patres ne qua hujusmodi insinuaretur suspicio; Personisq; (ut decebat) multiplicatis, unicam in Deo Mentem, unum Spiritum affirmarunt constantissime; hâcq; prudentiâ Sabellianismum paulatim extinxerunt; quem tu, Magister incautior, *tribus Mentibus* tuis non foviſſes modò, sed & inflammasses vehementius. Quis enim ex illo Hæreticorum grege tres distinctas admisisset unquam in Deo Personas, si & consequenter & necessariò totidem admitti oportuisset Mentes, quæ Tritheismum eâdem inferrent consequentiâ? Difficile jam satis erat Trinitatis Mysterium; Cur, & illud explicando, fecisti longissimè difficilius? Heu! si quod in te lumen, tenebræ sunt; quantæ (quæso) tenebræ ipsæ! Quis in tribus Divinis Mentibus unum credat Deum, cum vix unus creditur in tribus Personis? O Mysteriorum interpretem!

At nisi in Deo tres distinxeris Mentes, metuis, Bone Vir, nemo tres probet in eo substantiales Personas, actúmq; de realis Trinitatis fide omnino sit. Quàm bene de hâc fide meritus es, cui tam bene consulis? Actum quidem de realî ipsâ Trinitate nisi tres in Deo Substantiales Personæ fuerint. Sed quid hoc sibi cum tribus commune Mentibus? Nonne Substantiales fuerint tres illæ Personæ, nisi & tres Mentes seu tres spirituales substantiæ? Substantiale ergo & Substantia pariter ubiq; (te & Philosopho & Theologo) multiplicantur, & quicunq; Substantiali addit Substantiale, Substantiæ quoque addit Substantiam. Vide quid hinc sequatur. Animæ & Corporis unio Substantialis est; ergo præter animam & corpus tertia est in homine Substantia. Dei & Hominis in Christo Substantialis unio est; præter Deitatem ergo Humanitatemq; tertia quoq; est in Christo Substantia. Patris ad Filium relatio in Divinis Substantialis est, (nihil enim illic accidentale;) Filii ad Patrem Substantialis est quoq; Relatio; Patris simul & Filii ad Spiritum Sanctum; Spiritus Sancti vicissim ad utrumque: quatuor igitur cum Substantiales in Deo Relationes sint, consequenter (te Aristotele & Aquinate) quatuor in

Deo

Deo sunt Substantiæ. Adeo parum fuerat tres admisisse! Cum hæc igitur omnia plus longè quàm absurda esse videas, noli Substantias (quæso) ex Substantialibus numerare, nec tres Mentes ex tribus inferre Personis, quas verè Substantiales quidem appellaveris, falsò substantias; eo nisi sensu quo Substantia olim pro Subsistentiâ sæpissime dicebatur. Sed de Substantiâ hîc, ut ab Accidente contradistinguitur, disputatio est; ut ea scilicet Mens est divina, ut Natura, ut Essentia, proindeq; ut Deitas ipsa; quam si quis igitur multiplicet, Deum quoq; necessariò multiplicaverit. Salvâ autem Dei Unitate tres Substantiales in eo dixerimus, Personas nempe; non Naturas, non Essentias, non Mentes. Persona in Deo quælibet, Substantialis quidem non modò est, sed & Substantia; tres itaq; simul sunt Substantiales; simul tamen, utì & Sigillatim, Substantia sunt Unica, Substantia Singularis in tribus Personis Substantialibus. Adjectivum enim (ignosce, ad Grammaticam te revoco) Substantivi sui, non casum modò & genus, sed & numerum sequitur; plurale verò substantivum substantivo singulari jungi potest. Nonne cum ipsâ Scripturâ Grammaticè dicam, *Omnes olim Christianos animam fuisse unam, cor unum*? Quanquam igitur *Substantiales* Personas dixerim, non eas tenor *Substantias* dicere. Grammaticè quidem licet, non autem hîc Theologicè. Tres enim illæ Substantiales Personæ, una sunt substantia, sola, individua, singularis. Hoc (scio) vocas somnium: *Tres* (inquis) *reales Substantiales Personas in unâ singulari naturâ nunquam somniavit Sabellius.* Has utinam Somniasset! Sabellius post hoc Somnium Sabellianus non fuisset. Utinam & hoc somniares ipse! Ex Tritheistâ forsan Orthodoxus fieres. Somniorum hujusmodi Prophetas ipsos aliquando non puduit: & nosti in quorum laudem scriptum est, *Somnia Somniabunt.* Somnia hæc Revelationes sunt, non deliria. O Sapientissimos somniatores quotquot ab Ecclesiæ primordiis ad nostra usq; tempora somnium hoc somniarunt! Tres nempe reales substantialésq; Personas in unâ singulari naturâ. Singulare enim illud *solitarium* non est, ut objicis, sed solum, sed individuum. Quamvis scilicet propter quosdam Hæreticos (majoris tutelæ gratiâ) multi olim ab hâc voce & timuerint & abstinuerint, remoto jamdudum periculo vix ulla aptior est, quæ Dei Naturam numericè unam significet. Hâc, hâc utendum maximè,

cum

cum propter vos, Mentium & Naturarum Trinitarios, secura non est illa Unitas, enimq; ex singulari Pluralem ambitis Trinitatem.

Laudo te tamen, quem intentissimum video, ut contra novos Sabellianos realem in Deo probes Trinitatem; sed cavendum erat ab utroq; extremo religione pari. Ea fuit Augustini cautio dum utrinq; in disputationibus suis hostes habuit diversissimos, & ex Diametro interdum oppositos; Gratiam adversùs Pelagium defendens, non omnino Naturam suppressit; defendénsq; ab Antipelagianis Naturam, fas suum integrum servavit Gratiæ. Hæc fuit & Conciliorum & Patrum omnium prudentia, in hac etiam nostrâ disputatione; librabant se quasi medios Sabellium inter & Arium, ne Trinitatis causam tuentes Unitati quicquam detererent; aut pugnantes pro Unitate ipsam opprimerent Trinitatem. Medium illud ipse nescis: *Unam* immolas, ut *Trium* serves; quasi minoris esset periculi Tritheismum inducere quàm ferre Sabellianismum, aut Naturæ Unitati quàm Personarum Trinitati derogare. Crede mihi; perit veritas, ni servetur tota; pura est fides, erroris mixtionem non patitur: Christianus nemo Deum credit nisi unum æque ac Trinum. Perversa est destructæ Unitatis compensatio, duplicata Trinitas; tres Mentes tribus additæ personis crimen augent, non minuunt. Uni noces, quem bis Trinum facis; imò nec Trino places, quem & Unum non finis esse. Et sua cuiq; numero dignitas, nec minor est Unitatis adoratio quàm Trinitatis. Utram plùs offendas nescio. Mentium Trinitas, simul & Personarum, Mysterium non est; Unitas monstrum est ex infinitis composita. Tres quidem Personæ *unum* sunt, sed non componunt; unus est Deus ex Naturæ suæ simplicitate, Trinus ex solâ Personarum multitudine. Nec putes Chimæricam Trinitatem esse, quæ non & Mentium; quasi, quæ Personarum est, figmentorum & non rerum esset. Vocásne figmenta Personas, non Substantiales modò, sed (ut ità loquar) substantialissimas? Substantia quidem omnibus & singulis una eadémq; est omninóq; individua, sola & singularis; sed non hinc dicimus Trinitatem esse, unde formaliter est ipsa Unitas. Substantia autem hæc, non alia, sed aliter, in quâlibet Personâ, Trinitatem illam substantialiter constituit. In Deo enim modus quicunq; habendi substantialis est, cum nullus in eo accidenti locus

cus. An figmentum in Divinis putas, Patrem ab æterno esse; Filium ab æterno esse; Spiritum Sanctum ab æterno esse: gignere, gigni; spirare, spirari? Fictitiúmne credis, tres illas Personas relationibus mutuis sese invicem respicere, Patrem ad Filium referri, Filium ad Patrem, Utrumq; mutuò ad Spiritum Sanctum? Nihílne veræ distinctionis est inter Improductum, Genitum, & Spiratum? Ensne merum rationis est tribus adeo distinctis rationibus Deitatem subsistere, gignendo, nascendo, procedendo? Nonne hæc in eâdem substantiâ satìs distinguuntur ab invicem, ut vera, realis substantialísq; Trinitas & dicatur & sit? Tale nil habuit inter Sabellianos (ut falsíssimè objicis) Trinitas Nominum ac Officiorum. Modorum quoq; rides Trinitatem, & joco eodem quo Nominum; quasi ex diversis illis subsistendi modis, nihil majoris veriorísq; distinctionis inter Divinas Personas accederet, quàm ex meris nominibus fictísq; officiis aut imputatis. Unióne illa quâ corpus animæ jungitur Chimæra tibi est? Figmentúmne putas duarum in Christo unionem Naturarum? An Chimæras, an figmenta ausus es dicere quos tamen substantiales Modos non ausus es negare? Nihílne est quod Substantiale? Mentísne opus est ac fictio, quòd Deitas in quálibet trium Personarum distinctè subsistat, Deo etiam non multiplicato? An reale non est, quo tres Personæ realiter distinguuntur? Non distinguuntur autem communi Naturâ, Substantiâ, Essentiâ, Deitate. Principium distinctionis nullum esse potest nisi proprium. Per quod quid unum est, per id distinctum non est. Cum igitur tres in Deo sint Personæ distinctíssimæ; tria quædam sint oportet singulis propria, quibus formaliter & realissimè fiat illa distinctio, uti & ipsa realissima est. Inter propria autem nihil in Deo numeratur, quod ad Origines relationésq; minimè pertineat: Substantia verò altérius ordinis cum sit, ad eas non pertinet, ideóq; nec est Personis propria; tribus enim commune est ut Substantia sint & Substantiales. Præter illius entis igitur & gradum & rationem, quippiam aliud realiter distinctum oportet in singulis esse, quo propriè una distinguatur ab aliâ. Hoc autem sive *Modum* dicas, sive quocunq; alio distinctivo signes nomine, reale sit necesse est, etiam in quálibet; unde manifestum omnino sit Trinitatem in Deo esse, quæ licèt non Mentium, non Substantiarum, non Naturarum, fictitiorum tamen non sit, sed realium

maximè; quanquam vel Modorum tantummodo diceres Trinitatem illam, & non rerum. Modus námq; (sortis hujus præsertim) si tibi res non est, saltem tibi est aliquid. Tuam enim & Philosophiam simul & Theologiam ità ineptire, ut nihil in Deo id esse doceas, quo & Pater & Filius & Spiritus Sanctus distinctè realitérq; in suo quilibet ordine constituitur. Parum est realem dixisse *Modum* hujusmodi; suo enim modo *res* etiam aliqua est, nec transcendens & vaga tantùm, sed veluti Prædicamentalis & determinata, res relativa scilicet. Quamvis enim Res una sit Deus, & hæc absoluta simplicissimáque; res tamen in Deo relativæ tres sunt; entiáq; relativa tria, quantumlibet cum uno ente, hócq; absoluto simplicissimóq; identificata. Quapropter *Modalem* nobis ne objicias Trinitatem, quæ realis non sit. Realem credimus, imò & Substantialem. Hæc enim Personarum est; quarum etiam quælibet non merus modus, non res qualiscunque; non ens nudum; sed substantia, ipsáq; subsistens, ultimóq; completa & determinata. Licèt autem Substantia illa non multiplicetur, singulárisq; sit in tribus illis Personis, nec proptera dici possit substantiarum Trinitas; cum tamen tres illæ Personæ sint Substantiales, hoc nonne sufficit ad Substantialem Trinitatem?

At verò (inquis) tribus admissis in Deo substantialibus Personis, admittendæ sunt etiam tres distinctæ Personales Substantiæ: Consequénsq; probas ex Hypothesi tuâ, quòd distinctæ nimirum cuilibet Substantiali Personæ sua debetur distincta substantia, sibíq; propria & peculiaris; ità ut, quamvis ejusdem substantiæ sint Pater & Filius sibíq; propterea consubstantiales, Personalis tamen substantia, quæ Filii, Patris non sit amplius: unde sequi necessariò infers tres esse in Deo distinctas Personales substantias. Optarim utiq; Animadversorem legisses diligentiùs! Non toties meâ hîc indigeres operâ, ut te tuæ non deluderent fallaciæ, tuísq; te laqueis expedires. Involvis quæstionem ipsam cum solvenda est; & hoc, ut sóles, semper. Res erat antea de tribus in Deo Mentibus; & facilè vidisses errorem, ni *Personalibus* adjectis, velut nube quádam, eum obtexisses. Eandem nunc quoq; substantiis induxisti, ut trium (quas etiam admittis) fraus lateret cautiùs: tres enim *Personales* substantiæ sonant quodammodo tolerabilùs quàm tres Substantiæ *non personales*, sit licèt utrobiq; error idem.

idem. Non verius enim tres dantur in Deo Perſonales, quàm non Perſonales, Subſtantiæ; ſicut nec tres Mentes Perſonales potiùs quàm non Perſonales. Et hoc ex dictis patet, patebitq; ex dicendis evidentiùs: Sed venio ad Erroris cauſam: facilior enim cura mali, cujus cauſa inventa eſt. Tres in Deo Perſonales credis & Mentes & Subſtantias; eò quòd quælibet Perſona Mens & Subſtantia ſit, proindéq; Mens & Subſtantia Perſonalis, nec (ut putas) multiplicanda minùs quàm Perſona ipſa. Nodus hic eſt; nunc ad ſolutionem. Si Perſonale pertineret ad Mentem aut Subſtantiam formaliter, ità ut Mens & Subſtantia non poſſent concipi quin Perſonales, ſicut non poteſt homo concipi, quin & rationalis concipiatur; quotieſcunq; multiplicaretur Perſonale, Mens quoq; & Subſtantia multæ fierent, ſicut multiplicato rationali pariter & multi ſiunt homines. Perſonale autem non ſic ad Mentem & Subſtantiam pertinet, cum non ſit ex mentis & Subſtantiæ formali conceptu: nam Perſonale (ordine Naturæ) poſterius eſt Mente & Subſtantiâ, cum prior ſit Eſſendi ratio quàm Subſiſtendi; naturæ ſiquidem, jam in Eſſentialibus ſuis completæ adjicitur Subſiſtentia, quæ ab ipsâ Subſtantiali Naturâ effluxus eſt. Sincerè tamen tecum agam: nodum non ſolvit iſta diſtinctio; poſito enim Antecedenti, ponitur & Conſequens; poſito homine ponitur Animal. Subſtantia autem ad Subſiſtentiam conſequens eſt; nam licèt poſitâ Subſtantiâ Subſiſtentia neceſſariò non ponatur, (ut ex Incarnationis Myſterio fides nos docuit) Subſiſtentiâ tamen poſitâ neceſſariò ponitur Subſtantia. Nihil enim ſubſiſtit præter Subſtantiam, cujus cum ſubſiſtentia ipſa modus tantùm ſit, non poteſt ſinè ſubſtantiâ exiſtere. Haud omnino requiritur tamen, ut modo ipſo multiplicato res quoq; multiplicetur; poteſt enim infinita Subſtantia multis ſufficere Subſiſtentiis, & ex infinitatis ſuæ privilegio variis ſe habere modis, quibus nulla poteſt alia; quòd autem ità ſe habeat, docuit hactenus Chriſtiana fides, quæ in unâ Deitate jubet Perſonarum Trinitatem adorari, ſeu in unâ eâdémq; numero Subſtantiâ tres ſubſiſtentias. Ipſe verò, cultûs illius Amplificator, vis adorentur tres Perſonales Subſtantiæ; quaſi Subſtantia quæ Patris eſt, eſſe non poſſit etiam Filii; nec eadem in Filio, quia & in Patre; adeo Homoouſion tecum à Nicæno differt, & Conſubſtantialem Patri Filium diverſimodè, Tu Conciliúmq; creditis! Quis un-

quam præter te (ſi qua ſibi Myſterii hujus religio) Filii ſubſtantiam non minùs à Patre diſtingui quàm Perſonam ipſam profeſſus eſt? Patris quidem Subſtantia formaliter perſonaliterq; ut Patris, Filii (ut ſic) non poteſt eſſe; In Patre nimirum (ut ſic) eſt Originalis, in Filio Communicata; ſed quæ in Patre & quæ in Filio, eſt Objectivè ac Subſtantivè omnino eadem; eadem quippe communicatur, non ſimilis; eadem numero, non ſpecie; communicata eadem, non repetita; in Filio, ut & in Patre, nec producta, nec genita; Perſona eſt quæ producitur, quæ gignitur; Rerum enim omnium Principium à nullo eſt; communicari Deitas poteſt, naſci aut quocunq; modo produci non poteſt. Implicat quicquam ſeipſo (niſi nominis diverſitate) prius eſſe aut poſterius. Alium à Patre, non aliud, Orthodoxè Filium dixeris: quare alium & non aliud, niſi ut diſtinctam agnoſcas Perſonam, indiſtinctámq; Subſtantiam? Alius enim & alius duæ ſunt diſtinctæ Perſonæ; aliud verò & aliud duæ Naturæ, Eſſentiæ, Subſtantiæ. Cum igitur aliud in Deo ſit & aliud, illic eſt Perſonarum diſtinctio; cum autem aliud non illic ſit & aliud, ſimpliciſſimam oportet ibi eſſe Subſtantiæ unitatem. Neſcis, Vir bone, quò te tuus ducit Error, cum à Patre Filium diſtinguis non minùs ratione Subſtantiæ quàm Perſonæ. Patri opponis totum ex adverſo Filium: Sublatâ enim Subſtantiæ inter eos communitate, nihil relinquitur quo ſint unum; alius & aliud ſibi tunc invicem pariter ſunt; nec ullatenus (rupto illo fœdere) ad Unitatem revocandi. Si enim æquè diſtant ex ſubſtantiâ ipsâ ac ex Perſonâ, relativè toti diſtant; nec magis unum poſſunt eſſe ac unus, ſubſtantialiter nempe uti & Perſonaliter oppoſiti; adeo ut non faciliùs eos reconcilies in unam Deitatem, quàm in unam Perſonam; unde nec verius ὁμοούσιοι dicentur quàm ὁμοπρόσωποι, *conſubſtantiales* quàm *comperſonales*. Solviſti vinculum, quoſolo uniebantur, cum ſuam cuiq; diſtinctam ab alio naturam ſingulisq; propriam Perſonis diſtribuiſti. Scis Patrem & Filium ſibi invicem incommunicabiles eſſe, ut Perſonæ ſunt; ità ut Pater non poſſit dici Filius, nec Filius Pater; ſi ergo pariter diſtent, ut eſt uterq; Subſtantia, in quo, quæſo, convenient, & quid unum eos conſtituet Deum? Præter enim ſubſtantiale ſuum atq; Perſonale, non video quid Deus habeat (ità latè patent); ad alterutrum ſcilicet Divina omnia reducuntur; niſi Te fortaſſis Theologo, qui eâ quâ

polles

polles inventionis fœcunditate novum quoddam entitatis Divinæ genus excogitasti, quod neq; Persona neq; Substantia, non Mens, non Essentia, non ipsa Natura. Quid ergo? dic, sodes; ipsa Deitas; quæ sola, quæ una tibi est, pluralibus Te numerante cæteris: nihil enim in Deo unum constanter affirmas præter eum ipsum; quasi Deus is esset, qui nihil horum. Hæc enim omnia cum tria tibi sint, tres Substantiæ, tres Mentes, tres Naturæ, tres Essentiæ, id omnino esse non possunt quod unum omnino est. Nobis quidem tres Personæ unus sunt Deus; sed medio Naturæ unius vinculo, Substantiæ unius, unius Essentiæ, unius Mentis. Hæc eum facilè unum constituunt, quem trinum Personæ. Vinculum autem, in quo unirentur, tibi servasti nullum, ex hoc tuo multiplicationis immodico studio. Multiplicatis tamen istis omnibus periculum Unitati nullum times: Deitatem seipsâ satis esse unam constanter prædicas. En Philosophum! Deitas est ergo quod Natura ejus non est; tres in Deo Naturæ, unus Deus; tria & unum, eodémq; sensu. *Hoc, hoc* (tuis liceat contra te verbis uti) *Mysterium non est, contradictio est*, mera prorsus absurditas, téq; uno digna Philosopho. Ecce & aliam longè digniorem subtiliorísq; fallaciæ! Ut probes non multiplicatâ Deitate multiplicandam tamen esse cum Personis Naturam, Mentem, Substantiam, hâc uteris (perspicuâ uti soles) demonstratione. Quicquid conceptâ Personâ concipitur, eodem cum eâ numero multiplicandum est: nemo autem Personam conceperit, quin & Mentem simul, substantiam aliáq; ejusmodi; nemo igitur neget pro Personarum numero ea quoq; omnia esse multiplicanda. Ut autem Syllogismi tui errorem sentias, ad hominem sic & ipse argumentabor. Quicquid conceptâ *Divinâ* Personâ concipitur, eodem cum eâ numero multiplicandum est: nemo autem *Divinam* Personam conceperit, quin simul & *Deum*, (Divina enim Persona *Deus* subsistens est:) nemo igitur neget pro *Divinarum* Personarum numero *Deos* quoq; esse multiplicandos. Hinc facilè percipis, (si quid saltem percipis Logicum) aliquam in Syllogismo tuo fuisse fallaciam, quæ *à dicto secundum quid ad dictum simpliciter* vel *à sensu composito ad sensum divisum* vocari apud Scholam solet, cum nempe ex termino restrictiùs sumpto ad eum concludis sumptum latiùs: Et hoc fuit syllogismi tui vitium;

vitium; ubi ſcilicet à Perſonâ, in Perſonali ſuâ præciſione, ad Perſonam, in Eſſentiâ quoq; argumentaris. In Divinis autem non multiplicatur Perſona ſecundùm eſſentiale ſuum, ſed ſecundùm Perſonale; ſeu, non quatenus mens eſt (aut aliquid eorum quæ ad modum *eſſendi* pertinent) ſed quatenus formaliter Perſona; & ut ſic, *ſubſiſtendi* modum directè indicat. Vides enim, ex iſto argumentationis vitio, retortum fuiſſe à pari in teipſum (quod non expectabas) argumentum tuum; nec minùs ex eâdem fallaciâ tres concludi Deos quàm Mentes; etiam ſi auſus ſis affirmare nihil magis ex multiplicatis Mentibus quàm Perſonis Deitatis unitati eſſe derogatum. Sed ubi nunc tantum innotuit diſcriminis, paritatem (ſpero) non argues ampliùs; nec eâdem facilitate tres Mentes quàm tres Perſonas cum Deitatis unitate reconciliandas præſumpſeris. Hinc námque vix ignores, putem, quæ tria & quæ unum in Deo dicenda ſint; tria nimirum Perſonalia quælibet, Unum verò quæcunque eſſentialia. Nec Perſonale tamen hîc intelligas, quod tantùm ex adjuncto ſic eſt & quaſi materialiter, ut Mens & ſubſtantia, quas Perſonales dicis Adjectivè, nihilque, præcisè ac formaliter, Perſonalitatis habent. Quicquid enim in Deo hujuſmodi eſt, ſolet à Theologis (qui à Tritheiſmo metuunt) non inter Perſonalia ſed Eſſentialia recenſeri; ne communibus propria, aut abſolutis relativa, promiſcuè confundantur; Quin potiùs ut & uni & trino ſua diſtinctè jura conſtent ſerventúrq; integra, ità ut nec unum dicatur quod trinum, nec trinum quod unum: neve id fiat Sherlociana contradictio, quod eſt ſumma Deitatis diſpoſitio.

Sed ne tibi ex tuâ Mentium Subſtantiarúmve Trinitate, Deorum etiam Trinitas meritiſſimè imputetur (nec ab Animadverſore tantùm ſed & à cæteris, Orthodoxè cum illo ſapientibus,) vertis te quocunque, ſed labore hactenus inani; & dum inauditam aliquam moliris unitatem, quam neq; ſpecificam neq; ſingularem promittis, non pudeat Decreti ſui Academicos tuos Judices; nec *Falſitatis*, *Impietatis*, & *Hæreſeos* Dogma illud tuum damnaſſe. Vix potuit *falſum* demonſtrari, quin ſimul & *impium* & *hæreticum*; ità in eo cohærent hæc omnia: paſsímq; mihi veſtigiis inſiſtenti tuis promiſcuè occurrerunt. Digrediar autem nunc à te pauliſper Dogmatiſq;

tiſq; ſeorſim falſitatem preſſioribus urgebo argumentis, collectis licèt ut plurimùm ex ſuperioribus.

Primum hoc accipe. Apud Orthodoxos omnes pro falſo habetur quodcunq; nec Scripturæ Authoritati, nec Conciliis, nec Patribus, nec receptæ Traditioni conſentaneum eſt: tale autem Dogma videtur hoc tuum, *tres* in Deo *Mentes* ſcilicet. Nil enim hujuſmodi aut Scriptura, aut Concilia, aut Patres aut recepta docet Traditio; cum vel ipſe fatearis novam hanc ignotámq; hactenus Mentis pro Perſonâ uſurpationem, quâ multiplicandis tamen in Deo Mentibus præſertim uteris. Dogma igitur hoc tuum pro falſo haberi oportet.

2. Pro falſo habetur quicquid rectæ adverſatur rationi: Dogma autem hoc tuum nonne iſtiuſmodi eſt? quid enim rectæ rationi adverſatur magis, quàm ſub eâdem denominatione *Tria* & *Unum*, Tres Mentes & Una Mens; Tres Divinæ Naturæ, & Una Deitas; multa in eodem genere infinita; ens ſimpliciſſimum, hócq; tribus tamen conſtans & Mentibus & Naturis, hiſq; in nullâ communi realiter identificatis. Tuum ergo *Trium Mentium* Dogma pro falſo habendum eſt.

3. Quodcunq; opponitur vero, falſum eſt: *Trium* autem *diſtinctarum* in Deo *Mentium* Dogma opponitur vero; nihil enim verius quàm infinitam eſſe, perfectam, ſimpliciſſimámq; Divinam Mentem, proindeq; & unam, indiſtinctam, & individuam. Quid ergo dogmate hoc tuo falſius?

4. Falſum eſt quo perit Veritas prima: Dogmate autem illo perit, quo multiplicatâ Divinâ Mente (quæ veritas prima eſt, quâq; nihil aut ſimplicius aut prius) ex ſimplici fit multiplex, & ex primâ fit etiam ſecunda & tertia; nam ut in Divinis eſt ordo Perſonarum, idem ex Hypotheſi tuâ erit & Mentium, ipſiúſq; multiplicatæ veritatis. Quid igitur illo tuo falſius Dogmate?

5. Falſum eſt quicquid repugnantibus nititur Principiis: Sic autem Dogma eſt hoc tuum; pro eſſentialibus enim habere Perſonalia, pro Abſolutis Relativa, pro Communibus Propria (quæ omnia repugnant,) Principia ſunt quibus Dogma illud præcipuè innititur. Falſum ergo omnino eſt.

6. Quis tandem pro falſo id non habeat, quod ſi verum fuerit, falſam oportet eſſe Scripturam, falſa Concilia, falſos Patres,

Patres, falſam Eccleſiæ Traditionem, falſas Scholas omnes, falſam rectam rationem, falſam (uno verbo) veritatem ipſam? hujuſmodi autem Dogma eſt hoc tuum, quod præter te nullius ferè eſt, Orthodoxi certè nullius. Quis ergo pro falſo illud non habendum putet?

Volumen integrum mea fieret Epiſtola, ſi quantùm hæc argumenta patent amplificarentur. Sed ea vel nominaſſe ſatis fuit (ità facilè te opprimunt.) Librum habes ex Indice ipſo. Hincq; jam tibi fortè conſcius es, non duriùs quàm pro meritis tuis in te fuiſſe animadverſum, quoties Dogmatis hujus tui, vel exploſa vel damnata eſt *falſitas*. An ab *Impietate* ſaltem & *Hæreſi*, quarum etiam damnatur, te vel vindice, poſſit excuſari, palam faciet quæ ſupereſt diſputatio. At verò de his per otium in eâ quæ brevi ſequetur Epiſtolâ. Suos iſta longè excæſſit limites. Et plùs nimis ambo defeſſi jam ſumus, ego verberando, tu vapulando. Cum pauliſper utrinq; ceſſatum fuerit, redibitur ad laborem animis alacrioribus. Cura interim ut & valeas, & modeſtiùs ſapias.

Uno-Trino poli Datum. Calendis ipſis Februariis. Anno Æræ Chriſtianæ 1696.

A D

AD

Modeſtum Examinatorem.

Epistola II.

OXonienſe Decretum examinaſſes modeſtiùs, Vir Manſuetiſſime, ſi Falſitate gravius nihil Dogmati imputaſſet tuo. Cum enim Errare humanum ſit, facilem ſolet, niſi ab inhumanis Judicibus, veniam obtinere, quiſquis pro verâ falſam docuerit opinionem. Sed Impietatis accuſari Dogma, eóq; damnari nomine, nec tam ab Animadverſore privato quàm ab Academico Senatu, hinc certè Authoris dedecus tantum eſt, ut vix hoc ferat vel te quicunq; mitior; præſertim & Theologus, ſi & Doctoris inſignitus gradu, ſi & ampliſſimè Decanus, ſi & totus ad altiora nitens, hians, anhelans: hæcq; omnia intra Eccleſiam, non pietate minùs, quàm & dignitate & fide, inter omnes purè Chriſtianas facilè principem. Quis enim illic ex Decano Epiſcopus fiat, recens ab ejuſmodi Anathemate, imò vel minimam paſſus impiæ Doctrinæ ſuſpicionem, eámq; maximè circa ipſum Religionis caput, Trinitatis Myſterium? Quamobrem miretur nemo ingemuiſſe te ſub pondere iſto vehementiùs, nihilq; omiſſum & artis & fraudis, ut *Trium* in Deo Dogma *Mentium* ab Impietate purgares quâlibet. Vereor tamen ne addat crimini excuſatio ipſa. Impietatis enim totam accuſas Eccleſiam, ut & te hinc excuſes, Dogmatiſq; tui famæ conſulas; nam præter diſcipulos tuos, Vir Bone, noſti neminem (etiam Chriſtianum) qui non Idolis ſerviat. Ido-

lum ſcilicet adorant, Judice Te, quicunq; Perſonarum & non Mentium Trinitatem; cum nec reale tibi nec ſubſtantiale præter *diſtinctas tres Mentes* quicquam in Trinitate videatur. Perſonæ namq; ſinè diſtinctis Mentibus vacua tibi ſunt Nomina, conceptus imaginarii, vanæ ſpecies, inanes modi, figmenta mera, purum nihil. Quid autem impiè magis dici potuit, & in Eccleſiam, & in Deum ipſum? Brevi, ſi poſſim, utrumq; ſenties. Tanta eſt in utrumq; hæc injuria, meáq; in te meritiſſima indignatio!

An Eccleſiæ, an Chriſtianis flagitium aliquod Idololatriâ pejus imputaverit vel infenſiſſimus calumniator? Si qua tamen hypotheſi tuæ fides, Idolum hactenus coluit Eccleſia, quoties *Trium* ignara in Deo *Mentium* tres in eo coluit Perſonas, meram tibi ſinè diſtinctis Mentibus Chimæram. Quandonam autem (quæſo) fieri cœpit novum iſtud Revelationis genus? Quæ ſcriptura *tres* in Deo *Mentes* prior docuit? Quis Patrum olim prior? Quod Concilium? Quæ vel privata Synodus? Annales tuos conſule. Ità enim ſilent noſtri, ut ante hæc ultima tempora ne ſemel quidem hujus Trinitatis tuæ nomen legerimus, vixq; primùm auditum fuerat, cum ſtatim repetitis damnatum Decretis, Authoriſq; tandem impio ſanguine (utut potuit) expiatum eſt. Tot igitur retro ætatum Spatio, quæ ſola nota fuit Perſonarum Trinitas, ſolam quoq; ab Apoſtolis coluimus omnes; Trinitatem ſemper in Unitate, in Trinitate nunquam Trinitatem; tres Perſonas ſemper in Uno Spiritu, *tres* nunquam *Spiritus* in tribus Perſonis. Si cultus iſte, ut objicis, impietas eſt; ecce, habes confitentes reos, Impii omnes ſumus; Impii & Patres & Martyres; Impii (auſim dicere) ipſi etiam Apoſtoli; Impii quotquot appellamus ſanctos: Quem enim omnes & Naturâ unum & ſolis trinum confitemur Perſonis, hunc etiam unúmq; Trinúmq; adoramus. Gloria noſtra eſt hujuſmodi exprobratio Impietatis. Si quid nos pudet, tuî pudet, qui ſummum Religionis officium in ſummam vertis Eccleſiæ contumeliam. Hæccine Matris eſt tibi tam benignæ reverentia? Hæcne pietas erga illam tua, ut Impiam dicas? Ingratus quiſquis in Matrem ipſe impius eſt. Sed Idoli cultum ferre non potes, nec in ipsâ Matre. O dignum Evangelio Chriſtianum, ſi indignationi par cauſa fuiſſet, ſi quod revera Idolum Eccleſia Mater coleret, tribus in genua procidens Perſonis! At Idoli quid habet illa Perſonatum Trinitas

nitas, quarum unaquæq; non Divina modò, ſed & Deus eſt? An dignæ minùs, quæ conjunctæ adorentur quàm diſtinctæ? *Tres* quas fingis adoquas *Mentes*. Cur non ipſe quas non fingo tres Perſonas? Quid reale, quid Subſtantiale magis in fictâ Trinitate tuâ quàm in verâ noſtrâ? Tecum nonne tres in Deo Perſonas confitemur omnes? Præter te autem *tres* in eo *Mentes* vix alius. Nemo niſi ex Sabelliano grege Patrem negaverit diſtinctam eſſe à Filio Perſonam, Filium à Patre, ab utroq; Spiritum Sanctum. Quis autem niſi Arii diſcipulus (vel tuus) *tres* à ſe invicem *diſtinctas Mentes* aſſeruerit? Perſona in Deo Relationis nomen eſt, proindéq; correlatam ſibi Perſonam indicat, Filium Pater, Patrem Filius; nemo enim ſibi Pater eſt, ſibi Filius nemo. Hinc multiplicentur oportet Divinæ Perſonæ; multiplicandis autem Mentibus nihil occurrit hujuſmodi: Mens in Deo nomen eſt Subſtantiæ, cui cum nihil ſit eſſentialiter oppoſitum, ſola poteſt eſſe, multiplicatis etiam Relationibus, ſubjectum ſcilicet earum commune; ità ut quæ Mens eſt Patris, Filii ſit quoq; & omnino Patris eadem quæ Filii. Nec rem in Deo ſic ſe habere neget quiſquam, niſi tot Deos quot divinas Mentes aſſeruerit. Mens enim Divina Deitas ipſa eſt; quam implicat augeri Numero, quin & eodem augeatur Deus. Neſcis Animadverſoris Tritheïſmum, ſi hæc neſcis. Nonne Mens Divina Dei Natura eſt, Dei Subſtantia, Dei Eſſentia? Hoc negare nunquam auſus fueris, niſi & Deum Spiritum eſſe. Deitas autem quid eſt præter ipſam Dei Naturam, Subſtantiam, Eſſentiam? Mens igitur Divina & Deitas ipſa ità inter ſe conveniunt, ut ſolo differant nomine, réſq; omnino ſint eadem: aut errat Axioma apud Logicos; *Quæcunq, ſunt eadem uni tertio, ſunt etiam eadem inter ſe.* Quæ verò ità ſe habent, numero ea repugnat diſſentire: nec minùs ineptè dixeris *tres* Divinas *Mentes* eſſe, unámq; tamen Deitatem, quàm ſi rationale multiplicaveris, Humanitate non multiplicatâ. Ad Deitatem enim pariter ſe habet Divina Mens, ac Rationale ad Humanitatem. Quapropter ut & in Logicis rideres me totum, ſi tribus affirmatis rationalibus tres tamen negarem homines; an ridiculum te non putas, qui ex *tribus Divinis Mentibus* tres non videas & inferri Deos? Cum autem in fide Deus *unus* ſit, Mentem & in eo *Unam* demonſtrativè concludimus, proindéq; nec Idolum minus *tres Divinas Mentes* eſſe quàm *tres Deos ipſos*, quos & credat & adoret neceſſe eſt,

quiſquis & *Tres Mentes.* Cum igitur nec tres Dù ſint, nec *tres Divinæ Mentes* (niſi in tuâ) quid præter Chimæram adoras, quid præter Mentis figmentum? Impia eſt tamen (teipſo Judice) quæcunq; objecto reali Subſtantialíq; caret Adoratio. Sic ex tuis ipſiſſimis Principiis, non minùs quàm ex Academiæ Decreto, Impium Dogma eſt, quo tu tuíq; cultum hunc didiciſtis. Ex trium in Uno Deo Perſonarum Dogmate nihil ejuſmodi didicimus, quicquid inſultes & jactabundus objicias; reale eſt, Subſtantiale eſt quicquid colimus. Colimus enim quod & Divinum & verum. Nonne Pater Divina & vera Perſona eſt? Nonne Filius? Nonne & Spiritus Sanctus? Nec conjuncti minùs quàm diſtincti, quilibet divinus eſt ac verus, Deo etiam non multiplicato, ideóq; nec mente; quemadmodum enim Divina quælibet Perſona Deus & creditur & colitur; tres ipſas etiam, conjunctim eundem Deum, & credimus & colimus. Ubinam quæſoillic eſt idolum? Ubi figmenta? Ubi nominum modorúmq; mera Trinitas, cum nulla ſit trium Perſonarum quæ non ſit & Deus, quanquam non diſtinctus. Deitatis igitur diſtinctionem cum nec ipſe ad realem Perſonarum Trinitatem requirere videaris, Mentium cur neceſſaria diſtinctio, quæ nulla poteſt eſſe, niſi & Deorum ſimul, quandoquidem & Deitatis & Mentis Divinæ ſit conditio prorſus eadem; unde manifeſtiſſimè patet non Realem, non Subſtantialem minùs eſſe Perſonarum Trinitatem in unâ Mente quàm in uno Deo; ſicut nec Perſonam etiam quamlibet, etſi Mentem non magis diſtinctam quàm diſtinctum Deum. Nonne Pater & realis & Subſtantialis eſt, licèt non diſtinctus Deus? An realis ergo minùs & Subſtantialis ſi nec diſtincta Mens? Quapropter Mente (ut & Deitate) nec in ſingulis diſtinctâ Perſonis nec in tribus multiplicatâ, verum habet fides quod in Perſonis illis, ſingulatim & conjunctim, credat tamen objectum, verum quod Pietas adoret. Deus enim & cum Perſonis, & cum Deo Perſonæ creduntur & adorantur: Unitas in Trinitate, Trinitas in Unitate; ità ut non minor ſit Trinitatis quàm Unitatis religio, nec Perſonarum veritas quàm Deitatis. Æquè nimirum certum eſt *referri* Perſonas ac *eſſe*; Primam æquè Patrem eſſe ac Deum; Secundam non Deum magis quàm Filium; Tertiam pariter & Deum & Spiritum Sanctum: Cúmq; ad veram Trinitatem vera ſufficiat Relationum pluralitas, quid profuiſſet & Subſtantiarum, niſi ut fieret duplex Trinitas, periretq; Unitas quælibet, ità ut tres Divinæ Perſonæ

ſonæ non veriùs unum dicerentur, quàm tres aut Angelicæ aut Humanæ: nec proinde minùs tres eſſent Dù quàm tres aut Angeli aut Homines. Quod non vidêris ipſemet negare, cum ab Adamo non magìs Abelem diſtinguis, quàm à Deo Patre ſuum Filium; ídq; non ex pari Relationum oppoſitione, ſed diſtinctione (quam ſuggeris) Naturarum. Nec obſtare putes quicquam diis in Patre & Filio multiplicandis, quòd utriuſq; tantùm diſtinguas naturam, non ſepares; Diſtinctio enim pluralitatem conſtituit, non Separatio; non ſeparantur Perſonæ Divinæ, & tamen plures ſunt quia diſtinguuntur; adeo parum confert ad Unitatem inſeparabilitas ipſa, quantumlibet eſſentialis! Præter indiſtincta, nulla ſunt unum; Unitas enim indiſtinctorum eſt, non verò inſeparabilium. In Toto partes non ſeparantur, plures tamen ex ſuâ ſunt diſtinctione. Intellectus & Voluntas nec ſeparantur nec ſeparabiles ſunt; quia tamen diſtinctæ ſunt in Animâ facultates, unum non ſunt. Perſonæ quidem Divinæ, & diſtinguuntur realiter, & realiter tamen ſunt unum; at verò unum non ſunt, in quo diſtinctæ, ſed in quo identificatæ; non una Perſona, ſed una Deitas, natura una; Subſtantia, Eſſentia, Mens una: cum nulla ſit earum diſtinctio, niſi ex ſuâ Perſonarum Relatione; cætera enim non modò non ſeparantur Perſonæ, ſed nec diſtinguuntur, niſi apud te tuíq; ſimiles & Philoſophos & Theologos, quibus & Abſoluta & Relativa, Communia & Propria, Eſſentialia & Perſonalia ejuſdem in Deo ſunt conditionis, ità ut ex Perſonarum multiplicatione multiplicetur vobis Abſolutum, Commune, & Eſſentiale quodlibet, nec minùs proinde & Deitas & Deus ipſe quàm Mens Divina, cum ſit Natura eorum omnium eadem; nec ſint alia aliis aut magis indiſtincta aut minùs unum; quapropter aut plures ſunt Dii, aut Mens in Deo una, hæcq; indiſtincta non minùs quàm vel Deus vel Deitas. Subtiliùs enim (ut ſoles) philoſopharis, cum & Deum & Deitatem ità diſtinguis à Mente Divinâ (quæ ipſiſſima Dei Natura eſt) ut ſervatâ Dei & Deitatis Unitate, Mentium tamen fiat Divinarum pluralitas. Nos autem, qui cum universâ Eccleſiâ ſimpliciter magìs & ſapimus & philoſophamur, eandem quam & Deo & Deitati, Menti quoq; Divinæ ſervamus ſuam & indiſtinctionem & Unitatem; nihílq; præter Perſonas Perſonaliáq; formaliter omnia diſtinctum trinúmq; in Deo agnoſcimus: unde, ni & plures Deos, unam

credimus

credimus colimúſq; Divinam Mentem, Naturam Unam, Subſtantiam eſſentiámq; Unam: in Unitate autem eorum omnium tres diſtinctiſſimè reales Subſtantialéſq; Perſonas, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum; quos niſi & *Unum* & *tres* ità credideris coluerísque, fide & cultu ab universâ differs Eccleſiâ, *nec* (ut cum Hieronymo partim loquar) *Eccleſiæ homo es* tantæ licèt Decanus. Vide ergo, Domine Decane, quò te illud *Trium* in Deo Dogma *Mentium* impulerit, incautum (ſpero) imprudentémque, ut crederes & coleres, quod præter te tuóſq; Orthodoxus nemo, merum figmentum, Trinitatem Scripturis, Conciliis, Patribus, Scholíſq; ipſis omnibus ignotam; & expoſtulas cum Academico ſenatu, qui Dogmatis hujus tui impietatem (quâ potuit authoritate) Decreto damnavit, téq; ſéq; digniſſimo. An licuit Homuncioni (Diſcipulo tuo) Doctrinam ejuſmodi palam effutire ex Cathedrâ; nec licuerit ipſis Athenarum veſtrarum Principibus, auditam, hanc & execrari & publico ferire anathemate? An tacuiſſe eos oportuerat? Approbaſſent impietatem, laudaſſent, confirmaſſent, digni profectò, queis apud vos & informandæ juventutis & ſanæ Doctrinæ pietatíſq; tuendæ cura mandata fuerit! ſtatim ergo relictâ veræ & antiquæ Trinitatis adoratione, novo *Trium Mentium* Idolo univerſa procidiſſet Academia, non tam ex Concionatoris eloquio quàm ex ſilentio Magiſtrorum! O quàm fœliciter igitur contigit, ut nec ſilerent, nec impunè tum prodierit Dogmatis hujus tui impietas! Quò non ſerpſiſſet venenum, fontibus corruptis? Laus & gratia Deo, qui tam opportunè vobis conſuluit, ne dicam & ſibi: ſua enim, & non Eccleſiæ modò, cauſa hæc fuerat eadem, eadem aliquatenus utriq; pericula: haud minùs quippe injurium Deo Dogma hoc tuum quàm Chriſtianæ & fidei & pietati: tanta eſt Dogmatis impii (tuiq; præſertim) & licentia & pernicies! Quæ jam dixi, hæc plus nimis probent; quantò magìs & quæ dicturus ſum!

Impietas omnium maxima (ſat ipſe nôſti) blaſphemia eſt; nihil enim Divinæ Majeſtati contumelioſius: quapropter totus laboras, ne qua Dogmati tuo adhæreat vel minima criminis hujus flagitiíq; tanti ſuſpicio, ut ab hôc ſaltem Impietatis genere purum videatur. Sed (more tuo) multa dicis quæ nihil ad rem; ad rem autem quæ dicis, contra te pugnant omnia; ità periculoſum fuit, ità pernicioſum in principiis erraſſe!

se! Nec refutatione novâ indigent quæ nova non sunt argumenta, eáq; jam ab Animadversore tuo, hísq; meis explosa sæpius Epistolis. At verò ut *Trium* in Deo *Mentium* Dogmatis facillimè intelligas ipse blasphemiam, conveniat tantùm inter nos (utì inter omnes) blasphemum id esse, quod vel negat quæ Deo competunt, vel quæ non competunt asserit. Dogma autem tuum utrinq; peccat. Quot quantáq; primùm quæ Deo competunt negat! Quid Deo magis competit quàm *Unitas* sua, *Simplicitas*, *Infinitas*, & *Perfectio*? Sed ex Dogmate tuo hæc omnia Deo negari oportet. *Unitas* nulla est, (Deo digna) *tres* ubi *Mentes* fuerint; tres enim oportet sint Dii, ubi *tres* ejusmodi *Mentes*, Divinæ scilicet ac distinctæ. Nonne Mens quælibet Divina Deus est, cum sit ipsamet Dei Natura, Substantia & Essentia tota, imò & Deitas ipsa? Quid enim aliud Unitas quàm Divina Mens? Deitas autem Una Unum constituit Deum, sicut & una Mens Deitatem Unam. Perit ergo Dei Unitas, Mentium admissâ Trinitate. Divina Mens (ex Teipso) omnem Deitatis complectitur perfectionem: Deitatis igitur perfectio quælibet toties multiplicatur quoties Mens illa; quamobrem invitis Scripturis, Conciliis, Symbolis, Patribus, Theologísq; Orthodoxis omnibus, si *tres* tuæ admittantur *Mentes*, trina est omnipotentia, trina sapientia, trina bonitas, trina perfectio Divina quæcunque. Ubi ergo in Deo Unitas, Unitas (inquam) Deo digna, Essentialis Unitas, quæ omnimodam excludat Deitatis in Essentialibus pluralitatem? Nec Divinæ *Simplicitati* amicum magis *Trium* in Deo Dogma *Mentium*. Deus est summè & perfectè simplex. Hócne autem convenit cum pluribus Naturis distintísq; Substantiis, *tribus* scilicet Divinis *Mentibus*; quarum mutuâ præsertim cohabitatione intimâq; Unione simul Deus ex Theologiâ tuâ constituitur Unus! An meliùs cum ejus *Infinitate tres* illæ *Mentes* convenient? Deus infinita Mens est. Quomodo autem infinita, si multa? Persona quidem Divina infinita est multáq; tamen: sed Absolutorum & Relativorum valde differt conditio. Absoluta in Deo sunt Communia; Relativa autem Propria: unde Persona quælibet suam habet infinitatem sibi peculiarem; proindéq; plures non repugnat Personas esse, quia Personæ cujúslibet infinitas diversæ ab aliâ quâcunq; denominationis est: ità ut in primâ Personâ sit infinita Paternitas; in Secundâ Filiatio infinita. Sed trium Mentium

tium & conditio & denominatio prorſus eſt eadem; quapropter repugnat illas eſſe & multas & infinitas. Multitudo infert diſtinctionem; infinitas excludit. Socium enim infinitatis ſuæ Infinita nullum admittunt. Si duo eſſent Patres, neuter infinitus eſſet: proindéq; in Divinis unus eſt Pater, qui cum ſit infinitus, omnem habet Paternitatis plenitudinem, & ſic alteri Paternitati non relinquitur in Deo locus, cum exhauſta jam fuerit illius Denominationis dignitas. Sic & in Mente infinitâ, quicquid Mentis non modò eſt ſed & poteſt eſſe, perfectiſſimè includitur; propterеáq; nullus Mentibus aliis locus vacat. Infinitum enim nihil eſt, quod in illo genere omnia non eſt, proindéq; quod non & unum & ſolum. Secundum nempe aliquid haberet, quod non primum; & primum viciſſim, quod non ſecundum. Nam quæ ſunt diſtincta, non nihil habeant oportet, quo unum aliud non ſit, & ſic utriq; neceſſariò quiddam deeſt. Defectus autem quilibet Infinito repugnat; ideóq; ubi ſunt *tres Mentes*, infinita nulla eſt. Ea porrò debet eſſe Mentis infinitæ conditio, ut cum immenſa ſit, extrema neſciat, terminiſq; nullis includatur. Diſtinctæ autem Mentes habent ſuæ diſtinctionis extrema, diſtinctiſq; ſuis includuntur terminis; alioqui diſtinctæ non eſſent. Ubi enim nec extrema nec termini, nulla quoq; illic diſtinctio. Hinc nimirum res diſtinguuntur, unde terminantur. Mentes igitur diſtinctæ (quanquam indiviſibiles & inſeparabiles) neceſſariò ſunt terminatæ; infinitæ igitur quî ſint? Mens hæc ſola infinita eſt, cujus (ut infiniti circuli) centrum ubique, nullibi Circumferentia. Carere autem Circumferentiâ non poſſunt diſtinctæ Mentes; ſua enim diſtinctio ſua ipſiſſima circumferentia eſt; nec ubíq; centrum eſſe poſſit, ubi diſtinctionis ſunt termini; extrema enim locus centri non ſunt. Hinc vides (ſi quid vides) multiplicari non poſſe Mentem infinitam, proindéq; ex *trium* in Deo *Mentium* Dogmate perire Dei infinitatem. Nec ſecurior fuerit cum tribus illis Mentibus ipſa Dei *Perfectio* quàm & Infinitas. Vel enim cum unâ Mente perfectus eſt Deus, vel non. Si ſic, cur addis alias? Si non, ergo negas Mentem Divinam eſſe perfectam, ideóq; & negas Deum perfectum eſſe; nam cum unâ Mente nondum negaſti eum eſſe Deum; quanquam & hoc ex Doctrinâ tuâ negandum quoq; manifeſtiſſimé. Quiſquis enim cum unâ Mente perfectus non eſt, Mentem is infinitam non habet, cum

nihil

nihil aut Perfectionis aut Deitatis Menti desit infinitæ, Judice te ipso. Si quis igitur cum unâ Mente perfectus non est, Deus non est; quem autem dixeris cum unâ Mente perfectum, qui ex te tribus essentialiter constat, iisq; proinde indiget ut perficiatur. Nec tibi favere putes, quòd in unâ Personâ Deus essentialiter perfectus sit, ut in omnibus; & non multiplicentur Personæ, quasi desit aliquid, quo Deitas perficiatur: Mentis enim & Persona diversissima conditio est, cum ad essentialem Dei perfectionem Personæ nihil conferat, sed duntaxat ad Personalem. Quapropter in unâ ut in omnibus essentialiter perfectus est. Mens verò cum sit ipsamet Dei essentia, hôc ipso quod eum constituit, essentialiter etiam perficit; cúmq; essentia sit tota simul, Mens eadem individuáq; totam totalemq; tribuit Deo perfectionem Essentialem, nec in tribus Personis minùs quàm in unâ, quia cum sint omnes unus idemq; Deus, unâ eâdémq; Mente & constituuntur & perficiuntur essentialiter. Quid prosint igitur quas Menti sufficientissimæ addis præterea Mentes, nisi ut intelligamus quàm indignè de Mente Divinâ sentias, quicquid aliquando in illius laudem prædicare videaris. Si enim tibi non satis est sola, quæ trium Personarum sit, eámne infinitam, eámne perfectam, eámne Divinam possis credere, proindéq; & Deum esse Deum? An verè is Deus tibi est, non modò qui nec *unus* nec *simplex*, sed nec *infinitus* nec *perfectus*? Hæc enim omnia cum tuo *trium Mentium* dogmate (uti ex superioribus patet) è diametro pugnant. Quæ igitur tot & tanta Deo competunt, negare directè, aut consequenter neganda docere, blasphemum nonne est? Sed nec minor videtur blasphemia, si quis ea quæ Deo non competunt asseruerit. Hoc autem & Dogmatis hujus vitium fuisse, facili negotio demonstrabitur. Quid enim Deo competit minùs, quàm tot Mentibus quot Personis constare? Personarum quidem oportet multitudo sit, ubi est & Relationum. At Mentis requiritur Unitas, ubi est & Deitatis. Quot namq; infinitas numeraveris Mentes, totidem & numerabit ille Deos, qui à Philosophis & Theologis numerare didicerit; cum & Ratio & Fides doceant, nihil à Deitate Mentem differre infinitam, ideóq; nec numero magis quàm reipsâ. Synonymorum enim neutrum potest unum esse, quin & unum utrumq; sit; nec etiam esse tria, quin & tria sint ambo. Deitatis autem ac Mentis infinitæ, an vel ipse neges synonymiam,

quam toties nobiſcum & tam aperte confeſſus es? Hinc ſentis & invictus, quàm parùm commodè uni ſoliq; Deo *tres* tuæ *Mentes* competant. Competántne quæ tam hoſtiliter adverſantur ut deſtruant? Nullus enim Deus, qui non & unus & ſolus; cum repugnet infinitè perfecto eſſentialis quæcunq; pluralitas. Deóne competit Natura multiplex, finita Subſtantia, Eſſentia deficiens, ambigua Deitas, Mens & Mentes? Hæc tamen Deo competere docet omnia, quiſquis tres Mentes in Deitatis Unitate. Apage (quæſo) hujuſmodi Tripartitam Deitatem, Triformem Deum, Mentem ſingularem ſimul & pluralem, Unum & Tria. Tres unúmq; credimus & adoramus; Relatione tres, unum Subſtantiâ, tres Perſonas, Deum unum. In hôc myſterio noſtro, ſi non Philoſophos, Theologos ſaltem agimus. Ipſe in tuo nec Theologum nec Philoſophum. Tres enim Uni Deo Perſonas convenire Fides ipſa nos docet; *tres* autem uni Deo convenire *Mentes*, te nec Fides nec Ratio: non Fides quæ Deum credit ſingulariter (ex Scripturis) unum; non Ratio, quæ Deum ut ſupremam concipit Intelligentiam; ſi autem ſupremam, ergo unam. Quis igitur tibi fuit *Trium* in Deo *Mentium* author, cum nec Ratio nec Fides? Alios profectò & diverſiſſimos conſuluiſti, qui tam malè Deo conſuluerint; quibúſq; Magiſtris hæc ei didiciſti tribuere, ab eóq; ità & diſſona & aliena, ut vix præter te ſimiléſq; tuî paucíſſimos quiſquam tribuat. Adeo blaſphemum eſt Dogma, proindéq; & impium, quo non ſolùm negantur quæ Deo competunt plurima, ſed & aſſeruntur plura, quæ nullatenus competunt: imò & quibus nihil Numini ſuo, Uni & Trino contumelioſius.

Vertis te fruſtra in quamlibet partem, ut ab hâc & blaſphemiâ & impietate Dogma hoc tuum vindices. Arte nullâ, fraude nullâ vindicabitur. Non is Sophiſta es, quem Scholæ reformident. Ridet hos Gigantes vel minimus illic Pumilio. Si argumentantem quis te metuat, vel te neſcit, vel Logicè quicquam. Tibi tamen totus places, totus plaudis; nec ab Animadverſore tantùm Coryphæiſq; patribus ſecurum te putas, argumentáq; tua hîc omnia; ſed & ab ipſis Aquinate & Scoto, quicquid & *angelice* & *ſubtiliter* ausi fuerint in adverſum limbo reclamare. Ità *trium* Dogma *Mentium* ab imputato crimine irrefragabiliter & defendis & defendas! Sed monte parturiente quid ſit naſciturum novimus; & quantuluſcunq; ſim

ego,

ego, non me fortaſſe imparem tuo cuilibet debellando Achilli ſenties; adeo facilis iſta eſt victoria. Audiam quid primum objicias. Ecce armatus (ut ſoles) Principii petitione prodis in aciem; tutus quidem in reliquâ pugnâ, ſi vel hoc tantummodo, quod eſt inter nos quæſtio maxima, gratis concedatur tibi, *Diſtinctam nimirum Mentem eſſe Perſonam quamlibet Divinam.* Et ne quis (vel tu ipſe) hoc à me impoſitum (ità ridiculum eſt) exiſtimet; ipſiſſimis verbis tuis, Latinè duntaxat meis, ſic pro te argumentaturus & exordiar & proſequar. *Nonne* (inquis) *Perſona unaquæq; Divina Mens infinita eſt atq; diſtincta? An blaſphemus ſum, quæſo, eas eſſe dicens quod revera ſunt? cúmq; earum quælibet Mens infinita* diſtinctáq; *ſit, nonne tres illas Perſonas citra blaſphemiam aſſeruero tres infinitas eſſe* diſtinctasq; *Mentes ſeu Perſonas?* En virum Logicum! O dignam Ariſtotele te demonſtrationem! Argumentis ejuſmodi quid ab opponente metueres vel argutiſſimo? Quis ullam poſthac Dogmati tuo imputaverit blaſphemiam? Nonne jam tibi plauſiſſe videntur Perſonæ Divinæ? tantùm abeſt ut de blaſphemiâ tecum expoſtulent! Poſito enim quòd diſtinctæ ſint Mentes (ut diſtinctæ ſunt Perſonæ) Sanctum eſt, non blaſphemum, tot in Deo Mentes & credere & adorare quot Perſonas. Nam abſurdo poſito; ſequi & alia oportet plurima. Sed quis tibi conceſſerat Perſonam quamlibet Divinam Mentem *diſtinctam* eſſe? Negaverat ſemper Animadverſor, & cum eo ubiq; Orthodoxi omnes. Propoſitionem tamen hanc generaliter ſic negatam, habes ipſe pro conceſsâ & indubitatâ: hôcq; firmiſſimo innixus fundamento, tuum adverſùs imputatam blaſphemiam erigis propugnaculum: & ex antecedente tam ſecuro conſequens haud minùs ſecurum inſultabundus infers. Blaſphemiæ nimirum falsò & temere *trium* Dogma *Mentium* damnari; cum ex diſtinctâ in ſingulis Perſonis Mente *tres* in Deo *Mentes* (utì & tres Perſonas) neceſſariò concludendas eſſe; ità ut quæ tres conceſsò (apud te) ſunt, tres etiam dici poſſint abſq; blaſphemiâ. Pari & ego Demonſtratione tres Homines te eſſe probarem. Poſito nempe gratiſq; conceſſo, quod & Decanus & Magiſter & Parôchus, ſint quilibet diſtinctus Homo; nonne manifeſtè neceſſariòq; ſequitur, te, quem dicunt & Decanum & Magiſtrum & Parôchum eſſe, tres quoq; diſtinctos eſſe Homines, tréſq; tres eſſe, tri-

num namq; est quodcunq; ter distinguitur; nec absurda est consequentia mea, nisi unde & tua, ex precariæ scilicet suppositionis vitio, & ex elenchi fallaciâ; cum petitur ipsa quæstio: & non concessum, pro concesso, ineptè habetur aut fraudulenter. Probanda igitur omnino fuerat præmissæ distinctionis veritas, antequam de conclusione tibi constaret. Nisi enim quamlibet in Deo Personam pro certo quis habeat Mentem esse *distinctam*, *tres* esse in Deo *distinctas Mentes* nunquam crediderit. Certior namq; præmissis (in legitimâ saltem argumentatione) conclusio nulla est, cum totam indè vim derivet suam. Quapropter operam ludis, cum extra præmissas quæris anxius unde roboretur. Frustra ut nostrum ei assensum captes, eam Divinis acceptam fore Personis ipsis & speras & jactas: certior, quicquid agas, non fiet, nisi hinc, unde vis est sua, invaluerit. Cum autem quod addas præmissis tibi nil occurrat, addis saltem adhuc roborandæ conclusioni, eam, non Personis modò, sed nec Naturæ ipsi Divinæ aut ingratam aut injuriam esse: hócq; tuâ probas familiari Logicâ. Nam si Personæ (inquis) hôc *trium* Dogmate *Mentium* non offenduntur ipsæ nec indignantur; an offendetur, an indignabitur Natura ipsa Divina, sibíq; blasphemum illud aut reputabit aut expostulabit? Nihil ejusmodi metuendum. At verò unde scis nihil metuendum ejusmodi? Nonne ignotum per ignotius probas? Demonstrari ante oportuerat nullam hinc Personis irarum causam fuisse; tum enim nec Naturæ futuram consequenter demonstrâsses. At verò ex illâ tuâ argumentandi methodo nihil concluditur; potest nempe fieri, nihil obstante argumento, ut *tres* tuæ in Deo *Mentes* irarum causa fuerint & Personis & Naturæ. Sensisti ipse defuisse aliquid demonstrationi; proindéq; subjicis confestim aliam; sed ejusdem, si non fabricæ, officinæ tamen; dignam profectò, quâcunq; prodeat, quæ audiatur. Vim ejus omnem, si non omnino verba, ecce referam. Quid indignaretur Natura, in *tres* licèt distributa *Mentes*? An quicquam sibi hinc detrimenti? Nonne in Divinâ Personâ quâlibet & tota est & indivisa? Fieri enim quî possit, ut quæ infinita est, non sit Una eadémq; in *tribus* etiam *distinctis Mentibus*? Infinita quippe, quanquam tria, una eadémq; Naturâ infinita sunt. Quæso nunc Doctor, & subtili subtilior longè, quis præter te capiat unum & tria generis ejusdem, *tres infinitas Mentes* quæ sint una eadémq;

Mens,

Mens, tres distinctas Naturas quæ sint indistincta Natura? Indistinctum enim est quicquid idem & unum. Si hæc reconcilias, *Subtilis* quidem κατ' ἐξοχην *Doctor* es. Nobis nimirum hebetioribus irreconciliabiliter pugnant, nisi fortè, ut ex discipulis tuis (Mentium scilicet Trinitariis) fatentur quidam ingenuè, unum & idem specificè (non numericè) hîc intelligendum. Id quidem invito te & inconsulto dixisse videntur illi. Nusquam enim ipse palam omnino dicis, aut dictum quàm potes cautè temperas; veritus nempe speciei Logicæ nomen in Divinis, rem licèt totus teneas, nec imprudenter aut temere; *trium* namq, *Mentium* ænigma non alio interprete solvitur, nec etiam, quæ illic innumera, conciliari possunt è diametro pugnantia: teste (si vis) argumentationis hujus tuæ novissimo experimento, ubi distinctas tres Naturas unam eamdémq; dici, palam implicat, ni pro *numericè* clam *specificè* substituas, húcq; redit integrum hypothesis tuæ Mysterium. Tres enim distinctæ Mentes (seu finitæ seu infinitæ) una eadémq; natura possunt quidem esse, utì tria quælibet speciei ejusdem Individua, una eadémq; natura sunt specifica, quantumvis repugnet esse Numericam. Si autem inter Patrem, Filium & Spiritum Sanctum distinctis tuis Mentibus Individua facis naturæ ejusdem, Uniúsq; Essentiæ, nullum tibi patet à Tritheismo effugium; nec minùs dissecas Naturam Divinam quàm inter tres homines dissecta est Humana. Distinctio enim hujusmodi in Naturis Naturæ quodammodo est in' partes dissectio; nam licèt in quolibet individuo tota sit, totalis tamen reperitur in nullo, quæ in unoquoq; distinguitur; cum totaliter & in solidum nihil sit tale, nisi quod solum & singulariter tale est. Nihílne igitur ex illâ Mentium distinctione deteritur Naturæ Divinæ, quæ nec infinita, nec perfecta, nec realiter una, nec Divina, nec Deitas, nec Deus est, si vel distincta? Et non vis tecum de Dogmate tuo ipsa expostulet, illúdq; injurium, contumelioſum, blaſphemum, proindéq; & impium, nomine meritissimo dicatur.

Quin & solito Modestiæ tuæ officio in oppositum quodcumq; Dogma, nostrum etiam (totius licèt Ecclesiæ calculo comprobatum) omnem rejicere videris blasphemiæ criminationem; nec non pro more tuo, argumentatione subtilissimâ. Nam si quis tres Divinas Personas neget totidem esse distinctas Mentes infinitas, quæso, quam ex tribus (inquis) distinctam

Cum esse negaverit Mentem infinitam esse? An Patrem? An Filium? an Spiritum Sanctum? è Trinitario scilicet numero statim erit expungendus, quisquis ille fuerit, cum neq; verus neq; perfectus sit Deus. O novum expurgatorium Indicem, Tridentino ipso inclementiorem! Nescio tamen an Impium magis quàm ridiculum Sophistam hîc agas. Centies negavimus tibi, non modò *tres distinctas* in Deo *Mentes*, sed vel ullam esse in eo distinctam (cum indistinctum sit quicquid unum, nihil enim aliud est à se): & quasi duas jam distinctas Mentes concesserimus, rogas (argutus inquisitor) quænam Personarum Mens illa sit non distincta, ut Decreti tui authoritate volens nolens è Catalogo expungatur. At locus hîc facetiis non est. Deus enim non irridetur. Profanum est ludere cum sacris. Aut errat Universa Ecclesia, aut ex hôc argumento tuo nulla relinquitur Divina Persona, Mens infinita nulla, Deus nullus. Præter nánq; distinctam Mentem, Divinam insuitámq; agnoscis nullam, Deúmq; proinde nullum. Quid posthac, si hoc impune Sancti Pauli Decano licuerit, Petri quem vocant successori non liceat? Es quidem multa sæpe ausus & magna; sed ad hæc tua, illa nihil: nec mirum si gladio Paulus audacior, quàm & clavibus & Reti Petrus. Non hæc Paulus tamen nisi in hærede, hôcq; te ipso. Mentes quas distinguis, unam ubiq; profitetur ille, Spiritum Unum, Deum omnino Unum; Patrem nunquam aliud à Filio, nec Filium à Patre, nec utrumq; à Spiritu Sancto. Tres distinctè multoties nominat, tria nc vel semel. Cum autem ex tribus Personis nullam agnoscat ab aliis Mentem distinctam, nonne ex hâc tuâ Logicâ debuisset inferre Divinam nullam esse, proindéq; nec Deum ullum. Hinc patet Pauli hæredem te minùs in Doctrina quàm in aliis; & præter Pauli opes quas nunquam habuit, non video quid Pauli habeas. An tulisset (putas) æquo animo sibi hanc fieri injuriam, ut quis suo gloriaretur, nomine & patrimonio, cui præterea nihil sui? Non Dogma saltem distinctarum in Deo Mentium, nec Impia de expungendo à Deitate vel Patre vel Filio vel Spiritu Sancto disputatio; imò & ex præmissis tuis trium expungendorum conclusio necessaria. Vide si bellum intulere cœlo periculosius Gigantes ipsi; & quid tutum Deo, Gigante & Briareo te ac Terræ filio. Durius tamen tecum agi conquereris vehementissimè, cujus dogmi (nolui dicere crimen) impietatis damnatur, graviori longè in aliis fulminatum anathemate.

Vix

Vix dederat Dogma tuum Pietatis tuæ hoc ſpecimen, tui, ingenii Logici tui, cum aliud ſtatim oecaverit, eodem ingenio dignißimum. Ubi enim gratis conceſſeras, diſputationis cauſâ, idem ſignificari nomine Perſonæ, ſeu Patris ſit, ſeu Filii, aut Spiritus Sancti; tum ex precariâ hujuſmodi præmiſsâ quid inferendum doces? Dignum certè aliquid Magiſtro, quod nec modicos præbet Sabellianis lucros, deſignatum licèt præſertim Hæreſi eorum confundendæ. Cum enim unicam in Deo admittant realem Perſonam, tribus tantummodo diſtinctam vel nominibus vel officiis, infers, ſi revera in Patre, Filio, & Spiritu Sancto idem Perſona ſignificet, vel nullam eorum Divinam eſſe infinitam Mentem, vel eam ſingulos eſſe, & ſic tres eſſe Mentes, ſicut & Perſonas. Quæſo, Magiſter, an bene cohærent antecedens tuum & conſequens? Primò nonne Divina Mens, cum ſit infinita, concipi facilè poteſt aut in Patre, aut in Filio, aut in Spiritu Sancto, Idem licèt in tribus Perſona ſignificet? Significat enim in Sabellianâ hypotheſi hanc ipſam Divinam infinitámq; Mentem. Conſequentis igitur pars hæc prior antecedenti non cohæret. Meliúſne cohæret poſterior? An ſigillatim nempe in illâ hypotheſi, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, Mens eſt quilibet diſtincta, cum tres illi ſint tantùm Sabellio diverſa unius ejuſdémq; realiter Perſonæ nomina? Sed & ipſe aliud infers, te quoq; dignius. Ergo tres ſunt Mentes, ſicuti tres Perſonæ. Riſum hîc quis contineat Sabellius, & illationi tuæ plaudens? Tres enim libentiſſimè in Deo Mentes admittit, eodem ſcilicet modo quo & Mentes, nullo ſcilicet reali. Unicam enim profitetur adorátq; & Mentem & Perſonam; nullam quamvis rectames eſſe Mentem infinitam Divinámq; niſi & in tribus Perſonis ſigillatim diſtinctam: ità ut niſi quis tecum credat iſtam Mentium diſtinctionem, actum apud illum eſſe putes de Perſonarum Deitate, nec inter eas ullum ſupereſſe Deum, nullámq; in Patre, Filio, & Spiritu Sancto infinitam Mentem. Quod quidem quàm impiè quis aſſerat nemo non videt. Sed ex nullo magis Dogmate quàm tuo hæc impietas ſequitur. Suprà enim tibi plùs ſatis demonſtratum eſt, Mentem illam nec poſſe Divinam nec infinitam eſſe, quæ ſola non ſit & indiſtincta, cum repugnet Unitati, infinitati, perfectioníq; Mentis Divinæ illam multiplicari aut diſtingui. Blaſphemia igitur, quam in alios rejicis, tua tota eſt; cum Chriſtianorum nemo

præter

præter te tuósq; Mentem infinitam distinguat, distinctámq; finitam reddat, ideóq; nec Divinam ampliús. Sic redit in caput tuum quicquid flagitii hinc aliis intentaveras; adeóq; blasphemum videtur Dogma hoc tuum, ut quovis etiam Sabelliano in Deum peccet longè contumelioſiùs; cum gravior multò ſit injuria, quâ perit diſtinctis tuis Mentibus ipſa Deitas, & cum Deitate Perſonæ Divinæ omnes, quàm alia quævis, quâ ſaltem & Deitas & aliqua ſervatur Divina Perſona. Excuſando igitur Dogmati tuo quid prætexes, cum hinc plus deteratur Deo, quàm ferè uſquam aliunde? Eò tamen cæcitatis (impudentiæ prope dixi) furor iſte tuus adegit te, ut exiſtimes illâ Mentium diſtinctione, quâ & Deitas & Perſonæ pereunt, eas omnino ſervari; excludendámq; Trinitatem, ſi hæc excludatur diſtinctio. Ità ſtant aut cadunt fatis communibus! Et ne gratis hoc à te dictum fuiſſe videatur, colligis vires tuas omnes, tum Logicas tum Theologicas; moliríſq; Demonſtrationem, non Animadverſori tantùm, ſed & toti (quæ cum eo ſteterat) Academiæ formidabilem, ni ſcirent te & ille & illa. Utinam & ipſe tam bene te ſcires! Congredereris cautiùs cum Adverſariis hujuſmodi; & tibi ab illis (etiam ut potes armatiſſimo) totus metueres: Nam Cataphractus licèt, hos contra hoſtes, armaturæ miles es leviſſimæ. Omittam nihil hujus tuæ, quam inexpugnabilem ſperaveras, Demonſtrationis; & quâ ruet facilitate, videbit præter te quilibet, fortaſſis & ipſe. Ità craſſus eſt qui te faſcinavit error, caducúmq; quo nititur concluſio tua fundamentum! Nam etſi in hâc argumentatione multa præmiſeris quæ vera ſunt, quid ad concluſionis veritatem conferent, ſi vel falſi quicquam, quantulumcunq; ſit, præmiſſis inſeras; concluſio nempe (quod ſolent cum eâ pauci) partem ſequitur debiliorem. Hinc tuæ omnino vereor. Reddam non ipſa Argumentationis verba, quæ prolixa & vaga nimis, ſed vim omnem, fortiúſq; quò preſſiús: & rationibus tuis utar, ſed methodo hâc meâ per ſoriten coacervatis. Perſonæ Divinæ cum tres realiter ſint, per aliquod reale aliæ ab aliis diſtinguuntur, reale autem illud oportet ſubſtantiale ſit; accidenti enim nullus in Deo locus: at ſubſtantiale nihil eſt præter Subſtantiam: Paternitas verò, & Filiatio, aut relatio alia quæcunque, ſubſtantia non eſt; per diſtinctas ergo, non Relationes, ſed Subſtantias (Mentes ſcilicet ac Naturas) Divinæ Perſonæ diſtinguuntur; & quot

diſtinctæ

distinctæ Personæ, distinctæ etiam substantiæ totidem. Personæ tres, Substantiæ tres: tres Personæ, *tres Mentes*. Vis nonne Argumenti hæc est? Debueras certè novi obtrudere aliquid. Centies objectum hoc fuit, & explosum. Substantiale & substantiam toties monitus non distinguis, nec Adjectivum à Substantivo, Censor Grammaticus! Relationes admittis Divinas, nonne? Accidentales eas non admittis; ergo substantiales, neque has tamen substantias. Ex tuis igitur concessis agnoscas oportet, substantiale aliquid esse, quod substantia tamen non sit; adeóq; & Personas posse ab invicem substantialiter distingui, non distinctis licèt substantiis. Substantialiter enim distinguuntur etiam quæcunq; tantùm substantiali modo se habent, quo non se alia. Sic in Divinis negare non potes Patrem, quà Patrem, aliter se habere, quàm se habeat Filius quà Filius. Modi autem se habendi Substantiam quidem afficiunt, sed non sunt. In Deo ubi nihil accidentale, essentiales eos oportet esse: & sic Pater à Filio, etiam non distinctâ Substantiâ, substantialiter distinguitur, quoniam per aliquid substantiale, Paternitatem scilicet quæ formaliter Substantia non est, sed Modus se habendi in Patre, quo se non habet Filius: & quanquam in Divinâ Generatione Substantia nulla producatur, substantialis tamen est quia Filius producitur, non quà Deus quidem, sed quà Filius; hoc est, non secundùm Deitatem, quæ, cum sit rerum omnium principium, improducibilis est; sed secundùm distinctum diversúmq; subsistendi Modum, Filiationem nempe, quæ & distincta & diversa est à Paternitate. Nec tamen illius Generationis Terminus ità Modus est, ut qui gignitur non sit etiam Substantia; Filius enim est, & non mera Filiatio. Modus quidem solus formaliter producitur, sed Substantia communicatur. Repugnat enim Filiationem esse, nullúmq; Filium; quanquam non repugnet Modum produci in Subjecto, quod per se est, antecedentérq; ad quamlibet productionem. Si enim subjectum quod jam erat suppositum, incipiat & suppositum esse quod non erat, nonne est vera & substantialis productio, etiam si utriusq; suppositi Unum sit & idem subjectum? Communitas enim Subjecti non excludit veram substantialémq; suppositorum distinctionem; sicut nec subjectorum, suppositi Communitas. Unum quippe adoramus in Christo suppositum, Verbi nimirum Personam: duo tamen

in eo credimus subjecta, Naturam scilicet & Divinam & Humanam. Cur non ex adverso credideris quoq; commune in Deo subjectum esse, quod unum sit in singulis omnibus Personis, quæ tamen revera sint tria suppositа? Quemadmodum ergo nihil implicat duas esse distinctissimas in unâ Christi Personâ Naturas, quid & implicet tres esse in unâ Dei Naturâ Personas? Sed quisquis in Incarnationis Mysterio Nestorium agit, facilè & Arium aget in Trinitate. Nobis autem (cum Orthodoxis omnibus) reverentia & fides est utriúsq; Mysterii, quam vis exempla in creatis neutrum habeat, neutrúmq; humanâ Mente concipiatur. An verò pro substantiarum in Deo distinctione Scripturam urges, quâ Christus dicitur, *Patris Imago & illius τῆς ὑποστάσεως Character*, quod reddis *Substantiæ*; & reddi quidem potest, sed eo sensu quo substantia pro Subsistentiâ, aut Personâ usus pari sæpe apud Patres solet. Nosti quam quid ὑπόστασις & οὐσία differant; hinc & Conciliis & Patribus familiares quidem esse tres ὑποστάσεις, οὐσίας verò tres nunquam; quia scilicet Substantia, quæ essentia est, οὐσία propriè dicitur; Substantia autem, quæ & Subsistentia & Persona, ὑπόστασις. Qua propter & hanc apud Latinos multiplicari in Trinitatis Mysterio non licuit, donec scrupulus fuit in nomine, & aliqua significationis ambiguitas. Quin & ubi jam longo invaluerat usu, & Hypostasis Substantiáq; passim pro Personâ usurparentur, majoris tamen cautelæ gratiâ, Theologi tandem ab istâ Substantiæ interpretatione prudenter abstinuerunt, ne quis ex vocis ambiguitate Latinis auribus error irreperet, aut præberetur offensa. At verò, cum ex Græcâ voce *Hypostasis* nihil hujus occurreret periculi; nunquam desuevit hæc ab usu solito; & tres adhuc in Scholis dicuntur hypostases, ubi jam diu invaluit una Substantia. Quare utriusq; vocis obsoleto propè sensu Synonymo, hypostasim ex illâ Scripturâ sæpius nunc Personam reddimus quàm substantiam; nec Latina cautio tantùm est, sed vernacula etiam plurima; ità ut siqua tamen recens versio *Characterem* legat τῆς ὑποστάσεως *Substantiæ*, *Personæ* statim monet Marginalis nota; ne Filium quis putet distinctam à Patre habere substantiam, sed esse ab eo distinctam Personam; eiq; ità similem, ut in communi Substantiâ solo distinguantur subsistendi modo & Relationum oppositione, ὁμοούσιον omnino, quanquam nullatenus ὁμοπρόσωπον. Non enim ad imaginem requiritur

Substantiæ

Subſtantiæ diſtinctio ſed Perſonæ; hinc q; Patris perfectiſ Imago eſt Chriſtus, quòd non ſimilis tantùm Naturæ, ſed & juſdem; nec ſpecificè ejuſdem tantùm, ut cum Adamo Abel, ſed ejuſdem Numero, ideóq; indiſtinctæ. Perfectiùs enim exemplar ſuum Imago refert, quo ab illo diſtat paucioribus. Totus ab Adamo diſtat Abel, cum & Perſonâ diſtinguantur ambo & Naturâ; Verbum autem à Patre ſolâ diſtinguitur Perſonâ; Patri cæteràm non modò ſimilis Filius, ſed idem unúmq; cum eo, & ex identitate conſubſtantialis, hinc q; alius ſolummodo, unde & repugnat eundem eſſe. Ejuſdem aſſeris quidem eſſe Subſtantiæ, ſed diſtinctæ; hoc eſt (ſi te intelligo) ejuſdem & non ejuſdem, diſtinctæ & non diſtinctæ; niſi ingenuè tandem fateri velis, Patri & Filio convenire ſpecificè, ut Adamo convenit & Abeli, proindéq; duos eſſe Deos, uti Adamus & Abel duo ſunt homines; Speciei námq; Individua quælibet, quam diſtinguunt, Naturam multiplicant. Hoc omnino tamen (video) nolles; & temerè dicti quaſi jam pœnitens, retractóq; ſtatim pede, ità vis in Deo diſtinguantur tantùm Pater & Filius, ut ne diſtent vel minimum, niſi quòd alter Pater ſit, Filius alter. Diſtant autem non modò hinc Adamus & Abel; præter enim oppoſitæ relationis diſtinctionem, quâ Pater alter eſt, & alter Filius, diſtant etiam ex Naturâ in utroq; diſtinctâ, qua uterq; ab altero diſtinctus homo eſt, hominéſq; propterea duo. Hinc q; ne rationis paritate Deos etiam ex hypotheſi tuâ multiplicari neceſſe ſit, indigneris ſi quis Patrem in Divinis aliter diſtinguat à Filio, niſi omnino quatenus ſunt Pater & Filius, non quatenus autem Deus & Deus; id eſt, non ex Naturis diſtinctis, ſed oppoſitis duntaxat relationibus. Tanta veritatis vis eſt, ut te (vel invitiſſimum) ad ſe revocet, tectúmq; potiùs tandem quàm cum illâ pugnes! Sua quoq; ſunt deliriis intervalla ſobria, ſed hæc breviſſima; ad delirium redítur ſtatim. Vix ab errore tuo reſipueras, ecce & erras adhuc, nec minùs quàm antè deſipis, & quaſi pœnituiſſe te jam pœniteat, quòs inſinuaveras ſolis diſtingui relationibus, hos nunc iterum ità diſtinguis ipſâ Subſtantiâ, ut hinc duntaxat diſtinctos realiter putes, cum reale nihil, præter Subſtantiam, in Deo tibi videatur, nec illic à Patre produci quicquam ſubſtantialiter, niſi & in Filii Generatione Subſtantia ipſa producatur Deitatis; imò nec alias Perſonam produci poſſe ſubſtantialem, nec verum rea-

lémq; credendum in Deo aut Patrem aut Filium; actúmque, non de ſolo Trinitatis Myſterio, ſed & Redemptionis. Hæc enim omnia (ſi qua tuis oraculis fides) præviam ſupponunt Naturæ Divinæ, ut & Perſonarum, diſtinctionem; hoc eſt (ſi qua fides cæteris) Deorum pluralitatem. Multiplicatâ enim hujuſcemodi diſtinctionibus Naturâ, haud minùs neceſſe eſt augeri Deos Numero quàm homines ipſos: Num unde putas fieri numerum, niſi ex diſtinctis Unitatibus? Aut quid Individua multiplicat, niſi Naturarum in unoquoq; diſtinctio? Conſule Animadverſoris Tritheiſmum, ſi nondum hinc ſatis vides, quod præter te omnes tam facilè; ex diſtinctis ſcilicet quas docuiſti & Mentibus & Naturis & Subſtantiis diſtinctiſſimos fieri Deos. Sed memineris ei nullum eſſe, cui plures; Monſtrúmq; non Deum, cui conditionis ejuſdem Natura plùs una. Excuſa nunc (ſodes) annexas Dogmati tuo tot blaſphemias; & impietatis damnatum hoc ab Academicis conquerere; plectendis ipſis duriùs ſi non damnaſſent.

An tamen Impiè magis quàm ignoranter iſta docueris, neſcio; te adeo rei Theologicæ imperitum præbes, cum & tibi contradictoriè pugnare videtur incarnari in Filio Naturam Divinam, nec in Patre ſimul & Spiritu Sancto, cum ſit tribus ipſis una eadémq; ſingularis Natura atq; ſubſtantia. Hoc nimirum perinde eſt tibi argutiſſimo Theologo, ac ſi diceret quis, unam eandémq; Naturam ſingularem incarnatam eſſe & non incarnatam; quo nihil tibi pugnat contradictoriè magis. Pugnaret & nobis quidem, ſi præter Naturam nihil eſſet, in quo propiùs fieret Incarnatio, formalitérq; (& non tantùm concomitanter) humanæ Naturæ Divina unirétur; tunc enim non potiùs Filii quàm aut Patris aut Spiritûs Sancti, diceretur eſsétq; iſta Unio. At jam (plúſq; ſemel) monitus es, non in Naturâ hanc fieri, ſed in Perſonâ; cum in eo fieri debuit, quod aſſumendæ Humanitati defuit. Humanitas autem jam erat; ſed nullius erat. Suam non fecit Pater, non Spiritus Sanctus; Neuter enim hanc ſibi in Perſonæ aſſumpſit conſortium. Suam verò ex propriis fecit Filius, aſſumptam ſcilicet in communis Societatem ſuppoſiti, ità ut eadem individuáq; cum eo fieret, non Natura, ſed Perſona. Utriq; enim Naturæ, junctæ licet in hoc Myſterio, jura ſervantur ſua diſtinctiſſimáque; nec Deus Homo, nec Homo Deus, ex Subſtantiæ ſunt Unitate, ſed Subſiſtentiæ. Cum autem hæc in Deo ſingu-

laris

laris non ſit, (tres namq; in eo diſtinctè ſubſiſtunt) non alius factus homo eſt, niſi cujus ipſa, & diſtinctè & propriè fuit, Filii ſcilicet; Patris nullatenus, nec Spiritûs Sancti. Quamobrem ex illis homo nullus præter Filium; in hôc enim, & non in alio, ambæ junctæ ſunt Naturæ; utriuſq; ſolus commune intercedit vinculum, ſolus extremorum nexus ità diſtantium, Mediator ſolus Dei & Hominis, ſolus & Deus & Homo, non ratione communis Naturæ, ſed propriæ ſubſiſtentiæ. Ubi enim Naturarum deeſt diſtinctio, nonne ſufficere Perſonarum putas? Cum præſertim diſtinctæ Naturæ opus illud non eſt, ſed Perſonæ. Hinc Filius caro potuit fieri, Patre non incarnato, Patri licet conſubſtantialis, Deúsq; cum eo numericè unus: nec ullum inde (ut vides) contradictionis quam objeceras periculum, niſi ſublatâ (cum Sabellio) etiam Perſonarum diſtinctione. Si enim Divinas inter Perſonas nulla, niſi Nominum intercederet diſtinctio, ut & Naturarum nulla, Pater cum Filio eſſet Incarnatus, eſſet Mortuus, eſſet Crucifixus. Quapropter à Sabellianis aditus facilis patuit ad Patripaſſianos, cum repugnet manifeſtiſſimè Filium pati ſolum, ſi nec *aliud* nec *alius* à Patre fuerit. Ut autem patiente Filio non patiatur & Pater, opus non eſt ut aliud ſint & aliud, ſint modò alius & alius; cum vel hoc (Eccleſiâ teſte) ſufficiat, ut gignat Pater, Filius gignatur, quæ non minoris tamen diſtinctionis videntur officia, cum ex ipsâmet Relationis oppoſitione irreconciliabiter & è diametro pugnent. Unde igitur erras tantopere, ut niſi Naturis diſtinguantur ambo, ambos putes neceſſariò pati, alterutro patiente, cum tanta ſit tamen ex meris ipſis relationibus Perſonarum inter ſe diſtinctio? Si neſcis (aut ſcire nolis) Erroris hujus tui originem, palam ego, volenti aut nolenti, dicam; ut, niſi tu ipſe, ex tuis ſaltem nonnulli reſipiſcant, cognito ſcilicet ab exordiis tam impiæ iniquitatis Myſterio. Mentium Trinitarii Evangelicam non credunt Perſonarum Trinitatem, quâ Unitas in Trinitate & Trinitas in Unitate colitur. Nihil enim realiter unum in Deo agnoſcunt; & trinum nihil, niſi undequaq; trinum. Diſtinctâ enim cum velint in Deo omnia, Naturam non minús quàm Perſonas; Myſterium in Trinitate deſtruunt: ità ut Perſonæ tres Divinæ non obſcuriùs intelligantur quàm tres aut Angelicæ aut Humanæ. Nam & Patrem & Filium & Spiritum Sanctum totum quemlibet diſtinguunt ut tres

ſolemus

solemus vel Angelos vel Homines distinguere, non ex modis tantùm subsistendi, quibus Personæ constituuntur, sed ex Principiis ipsis Essendi, quibus vel Angeli sunt vel Homines. Unde & à pari (ex hypothesi tuâ) inferri oportet, consequentiâ ineluctabili, tot Deos numerandos esse quot in Divinis Personas; quandoquidem Naturarum distinctio Deos non minùs multiplicat quàm & Homines & Angelos, par cum sit ubiq; ratio, & multiplicandi necessitas; ubi nempe ex distinctione nullus relinquitur Unitati Locus, implicatq; Deum ipsum posse Unum esse, hoc multiplicato quo essentialiter Deus est. Quî stet igitur Trinitatis fides cum tuo Dogmate? Quî Deitas? Quî Evangelium? Quî Religio? An duriùs ergo tecum agi nunc putes, cum & Impietatis hoc damnatur, quo sacra omnia non polluuntur modò, sed & pereunt?

Parum erat quòd hactenus & *falsum* & *impium* Dogma hujusmodi decretum fuerit, ni Hæreticum quoque. Hinc tamen quâ soles modestiâ cum judicibus expostulas; & novum hoc Crimen, ut gravioribus obnoxium pœnis, purgare conaris laboriosiùs: an fœliciùs autem, sequenti videbitur Epistolâ. Nolui fœdari hanc pluribus Monstris, jam prioribus plùs satis horridam. Vale, & quo scripsi, hæc lege animo.

Uni-Trino poli. Pridie Nonas
Februarii, 1696.

A D

AD

Oxoniensis *Decreti Modestum Examinatorem.*

EPISTOLA III.

IN re Theologicâ *Falsitatis* accusari, imò & damnari, durum quidem Theologo esse debuit; *Impietatis* autem, longè durius: sed *Hæreseos*, durissimum. Quapropter quis ille, vel te modestior, hanc fieri sibi Dogmatiq; suo non indignabundus ferat contumeliam, (meritissimam licet;) nec totus in Accusatores ac Judices, pro rei gravitate, invehatur? Præter hoc, tolerabile videri potuit quicquid aliud Decretum fuerat; cum tibi ex *falso impióq;* etiam Dogmate periculi tanti nihil impenderet. Si quid enim Doctori ex utrâq; illâ criminatione deteritur, tutus saltem Decanus est, nec teruncius annonæ perit amplissimæ. Sed cum Hæresi nihil tutum, nisi fortè caput, lege scilicet de occidendis Hæreticis apud vos (ut audivimus) opportunè abrogatâ. Vigent tamen adhuc leges aliæ, non Decano tantùm sed Episcopatûs candidato cuilibet metuendæ satis, ubicunq; locus Disciplinæ vel minimus, Canonúmq; reverentia. Non est sub illo pondere ad altiora gradus; vix in tuo stes: ità Hæresis deprimit, ità pœnis reddit obnoxium Ecclesiasticis. Papa de suo non securus ipse, quoties in criminis hujusce incurrit vel suspicionem; & hoc ipso quo Hæreticus, vi constitutionum Papa jam non est. An te suum Paulus defenderit, cum hunc suum ne vel Petrus? Eo nuperrimo teste, qui, Molino cum faveret,

Inquisitionis

Inquisitionis tribunal vix effugit. Quid si Valentino Gentili? Quid si Tritheïtis? Ab externo tantùm religionis tumultu ad interius exercitium quietiorémq; pietatem desciviſſe ille cum Magiſtro videbatur; jámq; tam levi de causâ in fide ſuſpectus, in Petri ſede malè firmus erat. An in Pauli tu firmior, qui de ipſius Trinitatis fide publico decreto excidiſſe comprobàris? Bene ac auſpicatò tecum agitur, quem nulla tenet Inquiſitio, tyrannis nulla, ſed Eccleſiæ benigniſſimæ ſimus. At verò precariâ ſecuritate frui, nec gloriosum nec ſecurum eſt. Pœnam à ſe nunquam procul videt pœnâ dignus, ſibíq; ſemper timet à fulmine, Dogmatis author fulminati. Vibrantur quidem aliquando bruta fulmina, quæ, ut parum nocent, parum timentur. Plurima hujuſmodi ab Academicis Pariſienſibus proſilientia Romani riſere Pontifices, ab illis ſcilicet ſuperiori Authoritate tuti, eâq; ſuâ. Nondum habes unde tam tutò & ridetas & repellas quod proſiliit ab Oxonienſibus. Irritum non fit jocis & cavillis: times quod rides; vímq; ſentis quam vidèris contemnere; quippe non tantâ repulisſes curâ, ſi contempſiſſes. Quid te à Decreto ità defendis, præſertimq; ab imputatâ hæreſi, ſi ſis invalidè condemnatus, nec poſſis hinc lædi? Temere putas Judicibus defuiſſe authoritatem: crimen quidem hæreſeos tam grave eſt, ut ad omne tribunal non pertineat. Quod nunquam hæreticum fuit, pro hæretico, etiam jubente ſine Concilio Papâ aut ſine Papâ Concilio, legitimè nuſquam habebitur. Molis tantæ ſunt iſta Judicia, tantam poſtulant authoritatem! Nulla etiam inter nos Synodus, poteſtas nulla, niſi atteſtantibus Scripturis Universâq; ſuffragante Eccleſiâ, jus ſibi hoc validè uſurpaverit; quantò minùs Unius Academiæ Convocatio? Quamobrem ſi *tribui* tuis in Deo *Mentibus* aut favere aut non repugnare Scripturas ipſas Universæq; Traditionem Eccleſiæ demonſtraveris, tecum ridebimus Oxonienſis Decreti brutum fulmen, invitiſq; Judicibus illis te dogmáq, tuum ab hæreſi vindicabimus. At verò ſi Dogma hoc tuum & Scripturis repugnat & Traditioni, adeo ut Conciliorum authoritate ſufficientiſſimâ damnetur, nullam imputabis ampliùs (ſpero) Academicis veſtris temeritatem, qui publicum Anathema ſuo & approbárunt & confirmárunt, ità poſtulante rerum apud vos ſtatu, ubi non rationum robore ſed Decretorum graſſanti malo tunc temporis occurrendum erat. Quandiu

enim

enim diſputatur tantùm, fides pendente adhuc lite opinio quodammodo fit, & in alterutram pro arbitrio inclinatur partem, quantumvis diſputantium alter præponderet. Decretum igitur interveniat neceſſe eſt, quo de fide conſtet inter omnes, & cedant authoritati, qui vel Animadverſoris demonſtrationibus non ceſſerant. Optimè igitur de Eccleſiâ veſtrâ meriti ſunt Dogmatis tui Judices, quam in mediis diſputationum fluctibus ſuæ fortaſſis incertam fidei hâc velut anchorâ opportuniſſimè ſolidârunt. Solidiùs quidem firmaretur Imperii ac Sacerdotii junctis in Synodo Nationali viribus: Sed iſta diutius expectari ſolent remedia, quàm ferat ſæpe mali periculum remediíq; neceſſitas. Serpit facilè in totum religionis corpus vitium quodcunq; capitis fuerit. Quid autem Trinitatis articulo capitale magis, unde omnis pendet Evangelica diſpenſatio, Redemptioníſq; veritas ac Myſterium? Quis error etiam illic tuo pejor? Quod in Trinitatis fide vitium unquam perniciosius? Nam etſi Auguſtino teſte periculoſiùs erretur nullibi, gradus tamen ibi ſunt erroris; & ſummum vidèris attigiſſe qui vel ullum non putes: eò magis extra omnem emendationis ſpem poſitus, quòd ex tot in hunc Articulum hæreſibus graviſſimis, tuâ gravior cum nulla ſit, nondum hanc ſentias; téq; unum glorieris hîc ſapere, errante quovis plùs longè inſaniens.

Sed quâ te tuóſq; arte deludas, & ab *hæreſi* dogma vindices, exploremus nunc ambo. Inſiſtam quàm maximè potero veſtigiis tuis, ne me uſquam effugias: exordiúmq; hinc ſumam unde & tu ipſe; ab illâ nimirum conſuetâ tibi argumentandi methodo, quâ ex precario antecedente conſequens infers haud minùs precarium. Gratis enim ſuppoſito, neq; *falſum* neq; *impium* Dogma hoc tuum eſſe, pari concludis evidentiâ neq; illud eſſe *hæreticum*. Quod quidem ex hâc tuâ ſuppoſitione quis neget? Poſito námq; abſurdo, quænam demonſtrativè non ſequentur abſurda? Sed hæc facilè in te retorquentur: poſito enim (prioribúſq; Epiſtolis etiam demonſtrato) *falſum* ac *impium* eſſe quod docueras, quidni & *hæreticum* eſſe poſſit? Hæreſeos nempe præludia præjudiciúmq; maximum, error & impietas reputari ſolent: pronum hinc aliò iter eſt; abyſſum abyſſus invocat. Hæreticus repentè nemo fit; præeunt & *falſa* & *impia*; tandem ſequitur *hæreſis*. Tuæ autem quod detur nomen, (ridens) interrogas. Legio dici poterat;

terat; (ità multæ sunt) nisi, ex Animadversore, Tritheïsmi jam nomine illa obiq; notior; quanquam ad rem potiùs quàm ad vocem in hujusmodi attendi oporteat; quodcunque enim vocetur, parum refert; dummodo quod revera est, etiam aliis damnatum fuerit nominibus. Velles tamen ex Judicibus tuis nosse, ubi locorum regnaverat olim hæresis illa, quo prodierit Ecclesiæ sæculo, quibus ortum debeat Authoribus, quâ damnata sit generali Synodo; cum tibi præter realis substantialisq; Trinitatis hæresim, nulla in Decreti verbis occurrat alia, neq; hanc vel semel in tot ætatum Annalibus memoratam legeris. Quid ad hæc omnia responderint doctissimi tui Judices, nondum didici; sed nec facilè quis respondeat, quantumvis doctus, ni primùm ex te noverit quid per Substantialem realémq; illam intelligis Trinitatem. Absit enim ut pro hæreticâ damnetur quælibet; realis substantialisq; est quam universa credidit hactenus coluitq; Ecclesia. Nam etsi unum individuúmq; Deum & credat & colat, tria tamen in eo non mera, non Sabelliana, nomina; sed realiter distincta supposita, eáq; substantialissima. Nihil scilicet Patre, Filio nihil, nihil Spiritu Sancto realius, distinctius, substantialius; cum nec Deitatis Unitas verior sit quàm Personarum distinctio; nec earum ulla, aut realis minùs, aut minùs substantialis quàm ipsa Deitas. Sed perpetuò erras, mî Homo, *substantiale* cum *substantiâ* confundens, & à *substantiali* arguens ad *Substantiam*. Substantiale enim nequaquam substantia est, sed quiddam ad Substantiam pertinens, eámq; inesse atq; in eodem genere (reductivè nempe) afficiens. Cujusmodi sunt modi omnes substantiales; quo nomine ab Accidentibus discriminantur; quæ substantiam quidem afficiunt, sed in genere entis diverso. At nisi sit, ut Personarum, ità & Mentium substantiarúmq; Trinitas, nullam agnoscis realem aut substantialem, eámq; solam & credis & colis, quam & damnavit & damnare debuit Oxoniensis Academia, utcunq; iisdem olim verbis & nunquam & nusquam damnatum fuisse contendas. At nisi probes nec re nec sensu eodem, parum tibi confert quòd non verbis: an enim damnari verba poterant, nondum vel cognita vel objecta? Quis enim illis temporibus *tres* in Deo *Mentes*, hacq; ipsissimâ phrasi tuâ, unquam dixerat? Profer Scripturam, Patres, Concilia, ubi phrasis hæc aut laudetur aut legatur. Jamdudum (etiam non rogatus) protulisses,

ea

ea ſicubi occurreret. Unde igitur tantopere tibi conſtat de Orthodoxæ Antiquitatis tecum hâc in re conſenſu, lectis nullibi *tribus* in Deo *Mentibus*? An quia, nemo licèt ità locutus fuerit, omnes tamen ità ſenſiſſe præſumis, non vim conſulens Verborum, ſed rerum cohærentiam? Cur aliis ergo non liceat quod & tibi? Cur verbis totidem legendum ſit in Conciliis Oxonienſe Decretum, ut tibi quicquam valeat, dum *tres* in Deo *Mentes*, quas nuſquam legis, credis tamen & adoras? Nonne Trinitas ipſa ex Scripturis creditur, quæ nominatim illic non legitur? Verborum ſenſus, non ſonus fidem & exigit & facit: ex Doctrinæ Analogiâ, non ex Syllabarum numero, omnia in libris penſanda ſunt: Spiritus ille eſt quo ſæpe litera vel muta intelligitur. Dogma tuum haud rejicimus ex literæ ſilentio; habeat ſibi tantummodò Spiritum illum, Doctrinæ ſcilicet Analogiam, & (invito Decreto quovis) admittetur. Sed an Dogmati quicquam faveat, cui & ratio omnis & authoritas repugnat? Hæreſim undequaq; ſapit. Scripturis fides nulla, ſi qua docenti hæc tibi; neq; unquam *tres* tuæ *Mentes* Orthodoxæ fuerint, niſi Dei Unitatem, quam Scripturæ ubiq; prædicant, reconcilies ipſe cum apertiſſimo Tritheïſmo tuo. An quicquam illic ſæpius damnatur? hæreſiſq; proinde nec antiquior ulla nec certior. Sed vix ab illâ metuis, quam nec hæreſim quidem putas eſſe, cum neminem à principio noris criminationi huic obnoxium præter Chriſtianos purioris notæ, quos tuam dicis & ſemper credidiſſe & ſemper coluiſſe ſubſtantialem Trinitatem. Quiſquis enim noſtram & crediderit & coluerit, numeratur tibi inter Noetos & Sabellios, Trinitarios tantùm ex nomine; ideóq; nec dignos quibus τριθεΐα imputetur. Laus iſta & tibi & tuis tota debetur, quorum Trinitas, non ſubſtantialis modò, ſed & Subſtantiarum, ne quid illi deſit realitatis aut etiam ſubſtantialitatis. Tres hinc tamen inferri Deos conſtanter negas, quanquam vel ex Tritheïſmo ipſo neminem putes fieri aut Paganum aut Hæreticum. Non Paganum quidem, cujus religio (inquis) non τριθεΐα ſed πολυθεΐα; Deorum non pluralitas modò, ſed hæc vaga & indefinita: Non etiam Hæreticum; nemo enim niſi intra Eccleſiam Hæreticus; illic autem tibi præter Orthodoxè Chriſtianos ne vel ullus unquam Tritheïſmi accuſatus eſt; hóçq; non ex merâ trium Perſonarum confeſſione, ſed Mentium, ſed Subſtantiarum. Tibi enim tres meræ Perſonæ aut nullatenus

tres videntur Dij, aut Personati tantùm ; Deorum larvæ scilicet, Latiniſq; hôc ſenſu veræ Perſonæ Ludicræ ſpecies, imagines vacuæ. Quapropter ſolam Perſonarum Trinitatem quiſquis coluerit, nec Trinitarius tibi propriè eſt, nec Tritheitæ dignus Elogio: niſi enim tres & credantur & adorentur ſubſtantiæ, unum omnino cenſes quicquid in Trinitate creditur & adoratur, cum tibi nulla ſit realis Trinitas niſi Subſtantiarum, ideóq; nec alius præter te (tuîq; ſimiles Trinitarios) pro Tritheitâ verè habendus, ſi quis habendus uſquam. Quidni autem? Cur & cum Animadverſore Vos veſtris non appellaremus nominibus? An aliâ de causâ hôc etiam nomine ab Ethnicis olim dicti ſunt ipſi Perſonarum Trinitarii, niſi quòd ignoranter & Subſtantiarum etiam Trinitarii credebantur? Tres enim Deos eum colere nemo ſanæ mentis dubitet qui tres diſtinctas in Divinis & Naturas & Subſtantias; cum præter Naturam ſuam, præter Subſtantiam ſuam, Deitas nihil ſit nec poſſit eſſe, ideóq; & pari creſcere numero debeat, iſq; verè Tritheïta dici, qui ex illâ multiplicatione tres neceſſariò Deos, re ſaltem, ſi non nomine, confitetur. Nec defuere olim hôc vero proprióq; infames plurimi titulo, idq; non in obſcuris tantùm Eccleſiæ recentioribúſve temporibus, ſed ante hos etiam mille annos, florentiſſimo adhuc Religionis ſtatu. Imò nec obſcura omnino ſunt quorundam hujuſmodi Tritheïtarum nomina, cum & in Conciliis recenſita legantur, iiſq; Generalibus. Tertium in Trullo potes evolvere, & illic non pauca leges ipſemet, quibus nec ſuum deeſſe videbis meritiſſimum Anathema, ut diſcas in Anteceſſores tuos non meris duntaxat privatiſq; diſputationibus fuiſſe jam pridem animadverſum, verùm etiam publicâ authoritate Decretiſq; ſynodicis: Eóſq; pœna multatos Hæreſi Hæreticiſq; debitâ: nec ſemel abiere maledicti; ter Anathema repetitur, quia τρισθείας illi propugnatores, trium defenſores Deorum. Quin & ibidem Tritheïæ minoris Doctores alii non effugerunt omnino iſta fulmina: tanta ſunt apud Orthodoxos omnes Tritheïſmi cujuſcunq; odia!

Nullus autem, quem ſciam, tuo pejor, ne vel Arianus, tot licèt tantiſque damnatus pœnis, maledictiſq; & fulminibus execrabilis: nec, ut tu ſoles, gratis loquor: diſcrimen audi inter utrumq;. Tres quidem Deos ſibi Arius fuerat, Eccleſiâ universâ Judice, cum tres in Divinis Subſtantias.

Summum

Summum tamen ex illis adorabat unum; reliquos duos, Numinis tantùm ſubalterni inferioríſque longè & virtutis & imperii cultu etiam minori longè venerabatur. Subſtantias enim creatas his duobus dederat, Patri increatam Soli, ſolámq; proinde latriâ (cultu ſummo) dignam. Hinc ſaltem tuta erat veri uniúſq; Dei & religio & reverentia; Filius enim ac Spiritus Sanctus Dij nunquam Ario fuere niſi æquivocè; naturâ ſcilicet juxta hunc Hæreticum à Patre diverſi, quod ſynonymiam deſtruit; nec ei ullâ proportione pares, quod Analogiam: finiti náinq; & infiniti, creati & increati, nulla proportio. Injuria igitur quæcunq; ab Ario fuit, Filii & Spiritûs Sancti tota fuit; damnum eſſentiale Deo nullum; ſubſtantia Deitati ſervatur integra; quod multiplicatur, & quod dividitur, alienum omnino eſt; & quicquid Arius inſaniat, naturæ Divinæ nihil deterit; perfecta manet, una, ſimplex, infinita, etiam cum hoſte tanto. At tecum (nefas!) periculum ſtatûs ſui Deo quantum eſt! Sua ſibi Natura nec una, nec perfecta relinquitur; inter multos & diſtributa & diſtincta: nihil ſimplex, nihil infinitum cum multiplicatis eſſentiis; perit naturæ, quicquid alteri naturæ dederis; nec Deus ille habet Deitatis omnia, qui alium à ſe verè Deum; id enim deeſſe ipſi neceſſe eſt, quo alius ab eo diſtinguitur. Adde ex prioribus Epiſtolis quæ huc pertinent plurima, faciléq; intelliges (ſi quid intelligis) quantum Divinæ derogat naturæ, quiſquis eam multiplicat; quantum & Deo, qui & Deos. Perit inter Dominos æquales ipſa imperii ſummitas; & cum altero pari Numine Numen ſupremum nullum eſt; deſtruitur, cum multiplicatur; repugnátq; in ſuo genere quolibet *infinitum* quid eſſe & *unum* non eſſe. Perſonas in Deo ſemper objicis, quibus & multiplicatis & diſtinctis injuriæ nihil fit, detrimenti nihil accidit; quaſi nunquam fuiſſes monitus hanc Diſparatorum eſſe fallaciam, nec Relationis & Subſtantiæ dari eaſdem argumentandi regulas. Patrem enim repugnat Filium non habere, húncq; à ſe diſtinctiſſimum, quanquam Deum non repugnet carere diſtincto Deo; imò & habere, omnino repugnaverit. Sed & Pater ità unus eſt, ut non minùs implicet duos eſſe Patres quàm Deos, multas (ut ità loquar) Paternitates quàm Deïtates, quàm Naturas, quàm Mentes Divinas. Adeo in ſuo quovis genere infinitum, unum oportet ſit neceſſariò!

cessariò? Multiplicandis igitur in Deo Mentibus frustra & imperitè mendicas à Personis multiplicatis exemplum & patrocinium; nisi Mentis & Personæ tanta probetur paritas, ut non minùs in Patre & Filio Mens differat, quàm in utroq; Persona; nec minùs etiam ex communi Personæ nomine in eandem uterq; conveniant Relationem, quàm ex communi Mente in eandem & Naturam & Deitatem; ità ut dici ambo possint vel Mente diversi æquè ac Personâ, vel Personâ iidem sicut & Naturâ. Cum hæc autem Orthodoxæ repugnent Logicæ, nec à Personis ad Mentes tutâ fide concludatur, noli (si Christianè sapis) ex Personarum pluralitate inferre etiam & Mentium, ni & Deorum (volens nolens) cogaris, paritate scilicet consequentiæ. Hôc enim ipso argumento, quo ex Divinis tribus Personis *tres* (te arguente) inferuntur & *Mentes*, *tres* ad hominem (arguente quovis) inferentur adversùm te *Dij*; neq; ex tribus Personis tantùm, sed ex *tribus* præsertim *Divinis Mentibus*; cum nulla sit Dei Unitas, nisi ex illâ Mentis Unitate, quâ & Deus & Unus est. Mens enim Divina cum & Dei Natura sit, Dei Substantia, Dei Essentia, proindeq; & Deitas ipsa, Deo tribuat oportet, non modò quòd Deus sit, sed & quòd unus sit; cum enim essentialiter sit unus, oportet eum esse unum unde habet & Deum esse. Imò & hinc ità Unus est, ut non habeat unde sit præterea. Sunt cuilibet nostri multa diversáq; naturalis suæ Unitatis principia; omissis aliis (quæ nunc nihil ad rem) duo recensebo tantùm; *Naturam* hanc nostram, nostrámque hanc *Subsistentiam*; Unus námq; non minùs sum *Personæ* quàm *Naturæ* unitate, nec *Subjecti* ratione magis quàm *Suppositi*. Res autem cum Deo non ità se habet; Naturæ unitatem tolle; nihil relinquitur unde unus esse possit, totus nempe aliunde trinus. *Tolle*, cur dixi? Imperantem jam præverteras, ità præstò es ad ejusmodi obsequia; nutum ne vel expectasti, ut solam quâ unus esse potest tolleres ab eo Naturæ unitatem. *Tres* ei dedisti *Mentes*, Largitor prodigus; tres Substantias, tres Naturas, Essentialia tria omnia. Unde ergo vis jam unus sit, qui nunc munere tuo non minùs ex naturis trinus est, quàm ab æterno ex Personis fuit? Divinúmne superest quicquam, quod neq; Persona neq; Natura, aut ad alterutram non pertineat? His igitur multiplicatis omnibus, an invenias, quæso, (etiam Εὑρετὴς tantus) individuationis aliud principium,

pium, quo & Deitas, una, & Deus verè dicatur unus? Quamobrem cum à Trithetismo, hocque (uti demonstratum erat) Ariano quovis pejore, nullum tibi pateat effugium, an putas novum esse Dogmatis tui Anathema, nec Scripturæ, nec Conciliorum percussam olim fulminibus tantam Hæresim, tantam blasphemiam, tantum scelus?

Nec blandiaris tibi quasi percusso in Conciliis Ario procul sis ipse à fulmine, & ab hæresi tutus: damnari non potuit ejus dogma impuni tuo, in Trinitatem blasphemo longè magis. Falso gloriaris medium te stare Arium inter ac Sabellium; ut Scyllam vitares trans Charybdim fugisti, & ab unitate metuens Personæ Naturas multiplicasti, etiam increatas; adeo ut Arius ipse medius quodammodò stet Sherlocium inter & Sabellium; & quanquam errat maximè quisquis naturas in Deo multiplicat, errat (ex antedictis) gravius qui eas omnes ut propriè Divinas & credit & colit. Medium omnino inter illa extrema nullum præter nostrum, quod & universa tenuit semper Ecclesia, Naturæ scilicet Unitatem in Personarum Trinitate, ac Personarum Trinitatem in Naturæ Unitate credens ipsa & adorans. Minantur utrinq; præcipitia, extrema utrinq; damnata sunt; eóq; nonne magis quò à mediâ veritate remotiora? Hinc Arii quoties in Synodis auditur Anathema, audis tuum; nam illic etiam à minori ad majus valet regula. Indulgebo, si vis, tibi parem tantùm ejus errori tuum hìc faciens; ad hæresim námq, plus satis sufficit. Hæreticus enim Arius fuit (Aquinate ipso teste) quia posuit cum Trinitate Personarum Trinitatem Substantiarum; non Substantiarum eo sensu quo Hilarius sæpissime & Augustinus aliquando, pro *Subsistentiâ* (seu hypostasi) usurpabant olim *Substantiam:* sed eo quo tu ipse, pro Essentiâ, pro Naturâ, pro Divinâ Mente. Jam ergo à pari Dogma tuum Aquinati hæreticum est. Sed brutum hoc tibi fulmen; nullum nisi à Synodo times, & quidem generali. Nonne in Ario te Nicæna damnavit, generalium prima? Nonne post illam aliæ omnes, quæ Nicænæ anathemata suo (ut nosti) ex reverentiâ solebant confirmare? Hóc, præsertim tuum sæpenumerò, & iisdem ferè verbis aut saltem æqui pollentibus. In quarto Conciliorum volumine sic lego: *Quicunq; Patrem & Filium & Spiritum Sanctum* unius Substantiæ, *omnipotentiæ & æternitatis esse non* Bini. *p.* 498.

crediderit,

crediderit, anathema ſit. In eodem volum. *Si-*
Pag. 291. *quis non confitetur Patris & Filii & Spiritûs Sancti* unam *Naturam ſive* Subſtantiam, *& unam virtutem & Poteſtatem, Trinitatem conſubſtantialem, unam Deitatem in tribus Subſiſtentiis ſive Perſonis adorandam, talis anathema ſit.* Ibidem. *Si quis ſecundùm SS. Patres non confitetur propriè & veraciter Patrem Filium & Spiritum Sanctum, Trinitatem in Unitate & Unitatem in Trinitate, hoc eſt, Unum Deum in tribus Subſiſtentiis, Conſubſtantialibus, & æqualis Gloriæ,* unam *eandémque trium Deitatem, Naturam,* Subſtantiam —— *condemnatus ſit.* Hæc tibi ſi non ſufficiunt Anathemata, facilè in Conciliis occurrent multò plura híſq; ſimillima, veſtróq; Oxonienſi antiquiora longè; ut diſcas tandem illud nec eſſe novum, nec tam ex Academiæ unius quàm totius Decreto Eccleſiæ. Actum agitur, cum tot Sæculorum hæreſis & docetur & damnatur, repetitio utrinq; fit, non innovatio; redeunt cum ſcelere lex & pœna, cum Arianiſmo Nicæna Synodus; perpetuum enim fuit Anathema, nec vim habet nunc minorem in ultimos quoſcunq; Arios quàm olim habuit in primum; nova nimirum ſemper eſt, revocata nunquam Sententia. Quin & revocandæ ſpes nulla tibi ſit, ſemel in æternum latæ, quinto Conciliorum teſte nobis volumine, his Archiepiſcopi ad Imperatorem ipſiſſimis verbis. *Conſtantini*
Pag. 14. *Magni tempore, dum peſtifer morbus & omni calliditate graſſantior, intolerabilis Arii Tyrannidis in Dei Eccleſiâ ſerpere cœpiſſet, qui tres naturas in Sanctâ Trinitate, hoc eſt, tres Deos auſus eſt prædicare, ampliſſimus Princeps, Zelo orthodoxæ fidei animatus congregavit S. Concilium* 318. *SS. Patrum in Nicæâ urbe Bithyniæ, in quâ S. Synodo nefandæ ſectæ ſerpentinam malitiam unà cum authore ſuo Ario* in perpetuum *fecit damnari, &* æternâ animadverſione *percelli.* Hactenus ille, & ne verbulum hìc meum eſt. Decretum hoc ergo in perpetuum fuit, & animadverſio hæc æterna. Inani labore fatigavit ſe Arius, Decreti Animadverſioníſq; impatiens, ut vim utriuſq; tùm ſuis tum amicorum viribus reprimeret. Ecce vigent adhuc poſt tot ſæcula in Succeſſores Arios ipsúmque redivivum Arium, quæcunque & eum olim aut damnaverant aut vexaverant; Decernitur, Animadvertitur; nullus in tantam hæreſim & Decretorum & Animadverſionum finis: peſtiferum hunc morbum arte omni & calliditate in dies graſſantiorem,

tiorem ætas ferre poteſt nulla; tyrannis enim hæc (ut legiſti) intolerabilis eſt; cúmq; in Dei Eccleſiâ cœpit primùm ſerpere, nunquam deſunt, qui fidei Orthodoxæ Zelo incenſi nefandæ Sectæ ſerpentinam malitiam cum Ario quocunq; Authore ſtatim reprimere conentur; híq; non modò ampliſſimi Principes, verùm etiam Decretorii Cenſores, Animadverſoréſq; fide & Doctrinâ celeberrimi. Quis enim bene Chriſtianus vim ſuam totus non exerat, ut ab ejuſmodi hoſtibus nihil Deo, nihil Trinitati tot inter utriuſq; pericula metuatur? Etenim quid non auſit Arius quilibet, auſus jam tanta? Facilè enim & Deum & Trinitatem negaverit, qui aucto Naturarum numero, Deorum etiam auxit & Trinitatum. Trinitas enim, quæ Perſonarum ſola fuerat, ab Ario Ariíq; aſſeclis fit & Naturarum; Tréſq; Dij ex uno. Quotquot enim Divinas Naturas ponis, totidem neceſſariò & Deos, teſte (ut vides) anticuiſſimâ Logicâ. Tritheïſmum ergo non impoſuit tibi malignus Animadverſor: Philoſophum egit, non calumniatorem, quiſquis ille ſit. Nemo dignitati tuæ invidebat, opibus tuis nemo, cum ante tot ſæcula Tritheïſmi damnârint Dogma tuum illius ætatis Animadverſores: ratio quocunq; tempore eadem eſt, veritas eadem, eadem ex demonſtrativis præmiſſis concluſio. Rem mecum experire. Quotquot diſtinctæ ſunt Naturæ Divinæ, totidem & ſunt eſſentialiter Dij; (natura enim illud eſt, quo quid eſt.) Juxta Arium autem quemlibet, ſeu Alexandrinum Presbyterum, ſeu Decanum Londinenſem, tres diſtinctæ ſunt Divinæ Naturæ: Juxta Arium igitur quemlibet, ſeu Alexandrinum Presbyterum, ſeu Decanum Londinenſem, tres ſunt eſſentialiter Dij. Nonne eſt hæc Logica omnium temporum? Cur ergo imputetur Invido Animadverſori & non ſincero potiùs Philoſopho? Inviderem ego magis illius Fidei & doctrinæ quàm Decanatûs cujuſlibet & opibus & dignitati. Hæretico laborans morbo, nihil habet, quod ipſi invideatur; præſertim ſi admonitus, ſi & caſtigatus non reſipiſcat; quantò magis ſi & in Medicum Animadverſorem inſiliat phreneticè, & poſt fulmina inſultet fulminantibus. Eheu! quem hujus non miſereat vel hoſtem infenſiſſimum? Ei quis invideat, vel Zoïlus ipſe? Tantum eſt Dogmatis hæretici malum! Tanta cujuſcunq; aurei etiam Decani, hæreticè ſapientis, calamitas!

Habes tamen (ut tibi videtur) quod excuſet te ab hæreſi, confeſſionem ſcilicet Orthodoxæ & receptiſſimæ Trinitatis, re ſaltem, ſi non verbis omnino congruis. Utinam grammaticè tantùm eſſent incongrua! Nemo hinc Dogma tuum hæreſim diceret. Incongruitas hujuſmodi, quâ nec Sacramentum fit invalidum, poſſet hæreticam non reddere fidei etiam Confeſſionem. At ſi quid in ſenſu, ſi quid in fide, congruè paulò minùs ſonet verborum forma, hinc ſæpe & blaſphemia & hæreſis fiet vel ipſa confeſſio. Non te fugit quantum olim familiare tuum ὁμοούσιον additione mutatum ſit Literulæ. Quis ex iota inſerto metuiſſet voci tam Orthodoxæ tantam hæreſim? Leviori tamen de causâ fiunt aliquando hæreſes, Literulâ ne vel additâ vel detractâ: celebre nimirum eſt illud Hieronymi; *Ex prolatis inordinatè verbis incurritur hæreſis. Pater eſt Deus, Deus eſt Pater*; ſolo verborum ordine propoſitiones iſtæ diſcrepant: de Divinis tamen agendo Perſonis ſi dixero, *Pater eſt Deus*, Orthodoxè loquar; ſi ordine inverſo dixeris, *Deus eſt Pater*, loqueris forſan Sabellianè, cum hinc & Filius & Spiritus Sanctus à Deitate ambo excludantur. Adeo ſenſum mutat inordinata verborum prolatio & Fidem invertit! hoc olim (memini) arguebat tecum (ſuóq; more ſubtiliter) Animadverſor; & quantæ hinc adversùs eum, imperitiſſimæque, turbæ! His autem ità præmiſſis experiamur, quæſo, an confeſſionis tuæ forma ſat in verbis peccet necne, ut hinc damnetur & hæreſis fiat. Primò, Nonne additione graviter peccat, tres dicendo Naturas, ubi tantùm una dicenda fuit? Secundò, Nonne & inordinatâ verborum diſpoſitione, ubi toties aut Adverbium aut Epithetum diſtinctionis, quod Perſonæ jungendum erat, jungis menti, & ex verbis ſic inordinatè prolatis in hæreſim incurris, vel invitus? Eccleſia enim dicit Quamlibet in Deo diſtinctam Perſonam eſſe Mentem infinitam, quod eſt Orthodoxum; dicis autem Quamlibet in Deo Mentem eſſe diſtinctam, vel diſtinctè infinitam, quod eſt Hæreticum; quia indè tres Mentes infinitæ, proindéq; & Dij. Non illa eſt ergo confeſſionis tuæ ex Sermone incongruitas, quæ Dogma tuum excuſet ab hæreſi, cum indè omnino tanto ſcelere damneris. Orthodoxè loqui non potes, niſi Unitatem Eſſentialium ſerves ubiq; Deo & integerrimam & indiſtinctam, ſoláq; diſtinguas Perſonalia, ſolas Hypoſtaſes, Relationes ſolas. Confeſſionem ejuſmodi ex Græcis veteribus

Conciliis

Conciliis Latinè tibi proferam, ab elegantiâ licèt vernaculâ ſuâ degenerem valde, ſed ab exemplaris fide ne vel minimùm; ijs tamen omiſſis quæ nec ad propoſitum hîc meum nec in uſus nunc tuos; præſertímq; etiam quòd à primo ferè confeſſionis illius vocabulo abſq; manifeſtâ infidelitatis hæreſeóſq; profeſſione non poſſit à te tuîq; ſimilibus ſolùm fortaſſe recitari. Poſt enim [πιςεύω τοίνυν, μακάριοι] ſtatim ſequitur, quod à te abſit, [καθάπερ ἀρχῆθεν πεπίςευκα] námq; emendationem velim, non erroris confirmationem; nec te creditu-rum poſthac ſicut à principio credidiſti, ſed potiùs ut priùs nunquam. Hâc igitur omiſſâ priſtinæ tuæ fidei profeſſione, quæ ſequentibus Confeſſionis Orthodoxæ non cohæreret verbis, nec iis jungi poſſet ſine mendacio impudentiſſimo, optem reliqua ſincerè legas. *Credo—in unum Deum, Patrem,—Filium,—& Spiritum Sanctum,—ejuſdémq; Eſſentiæ atq; Naturæ. Similiter & Deitatis Trinitatem conſubſtantialem*, τριάδα ὁμοούσιον, καὶ ὁμοδύναμον, καὶ ὁμοθρόνον, εἰς μίαν συγκεφαλαιωμένην θεότητα. Vol. 5. P. 161. *—Trinitatem itaq; in Unitate credimus, & Trinitatem in Unitate glorificamus. Trinitatem quidem pro tribus ſubſiſtentiis, Unitatem autem propter ſingularitatem Deitatis. Sancta enim Trinitas numerabilis perſonalibus eſt Subſiſtentiis, & Sancta Unitas extra omnem Numerum eſt.—Numeratur perſonalibus* ἐπιρρήσεσι *(alternitatibus)*; *identitate eſſentiæ atq; Naturæ conjungitur* (ἑνοῦται). *—Unitas enim & ſingularis &* ἄζυγος *eſt (incomputabilis), omnémq; refugit ſecundum Eſſentiam numerum. Unus enim Deus à nobis enixiùs (& congruenter) creditur, quoniam & Deitas una flagranter prædicatur, licèt in Trinitate agnoſcatur Perſonarum; & unus Dominus à nobis annunciatur, quoniam & Dominatio una firmiter agnoſcitur, licèt in tribus ſubſiſtentiis demonſtretur.—Unitas quippe ejus eſſentiæ atq; Naturæ numerari penitus non admittit.—Numeratur ergo Beata Trinitas, non Eſſentiis, nec Naturis, nec diverſis Deitatibus, terníſve Dominationibus, (apage, ſic inſaniunt Ariani, ſic novæ Tritheiæ latratores, tres ſcilicet Eſſentias, & Naturas tres, & tres Dominationes, trésq; ſimiliter vanâ religione confeſſi Deitates) ſed ſubſiſtentiis & proprietatibus intellectualibus perfectis, per ſemet ſubſiſtentibus, numero diviſibilibus, & non dividendis Deitate. —Idcirco nequaquam tres Deos dicimus, neq; tres naturas in Sanctâ Trinitate glorificamus, neq; tres Eſſentias in eâ prædi-*

camus, neq; tres confitemur Deitates, neq; quæ ſingulariter in eâ prædicantur, in multitudinem deducere permittimus. —Nec tres quaſdam Naturas aut tres quaſdam Eſſentias Deitatis novimus, non unigenas aut alienigenas, non ejuſdem ſpeciei, aut alterius ſpeciei; ſed nec penitus Deos aut Naturas aut Eſſentias aut Deitates agnovimus,—ſed & eum qui recipit vel ſapit aut novit, anathematibus percellimus.

Quid ad hæc, Domine Decane! Quid ad confeſſionem iſtam? Quid ad Anathemata? Fidem hanc Animadverſor non compoſuit; Generalium Conciliorum eſt. Conſtantinopoli, non Oxoniæ, fulmina hæc & in Dogma & in caput tuum vibrabantur; ante hos etiam mille annos. Tanta fuit (tempore quolibet) Eccleſiæ cura, non modò ut à Sabellii Subtractione tuta eſſet Perſonarum Trinitas, ſed & ab Arii multiplicatione Unitas Naturarum: cum illo tamen diſcrimine, (ut ex hâc integrâ confeſſione patet) quòd pro Judæo Sabellius, pro Pagano Arius haberetur. Nondum enim & Concilia & Patres à te didicerant, non ſufficere ad Paganiſmum τρισθεΐαν, ſed vagam requiri πολυθεΐαν. Opus certè fuit te Doctore, ut hoc ſciretur; ità liquebat inter omnes πολυθεΐαν quamcumq; Paganiſmum eſſe, multorum nempe religionem Deorum; certo numero an incerto, Trium vel trecentorum, perinde eſt; ità ut ſi tres tantùm Plato & crediderit & coluerit, æquè Paganus dici poſſet, ac ipſi Romani, qui præter Patrios ſuos, Deos etiam ſubjectæ ſibi cujuſcunq; Gentis ex antiquâ Superſtitione colebant. In moralibus enim (qualis cum bonâ tuâ veniâ Religio videtur eſſe) magis & minùs non mutant ſpeciem. Verumtamen, Domine Doctor, cum ità jubes, atq; ex meâ erga τὸ αὐτὸς ἔφα, reverentiâ; eſto, Paganus nemo Arius dicendus fuit, Tritheïta licèt, trium quantumvis Deorum cultor; at neq; profectò quemcunque illum Orthodoxè Chriſtianum dixeris, cum in Chriſtianam fidem offendat tam graviter. Hæreticus ergo ſi audiat, an de nomine (putas) jure nobiſcum expoſtulet, hæreſimq; vocari quod docuit? Hæreſis nonne eſt quodcunq; veteri Conciliorum Fidei adverſatur Dogma; (negas teipſum ſi hoc neges; ex conceſſis enim argumentor tuis;) Trium autem in Deo Naturarum Dogma veteri adverſatur Conciliorum fidei; quod ſi etiam ex tot ſuprà conceſſeriſ teſtimoniis, concedas oportet & hæreſim eſſe. Teſtis adhuc erit (ſi per

te

te licet) Concilii alterius confessio; ut Latinum illud fuit, ità & hæc Latina. In quarto legitur Concil. Vol. ipsissimis his verbis, quanquam non omnibus. Pag. 817. *— Hæc est Sanctæ Trinitatis relata narratio, quæ non triplex, sed Trinitas. — non in uno Deo Trinitas, sed unus Deus Trinitas. In Relativis verò Personarum nominibus, Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus Sanctus ad utrosque refertur, quæ cum relativè tres Personæ dicantur,* una *tamen Natura vel* Substantia *creditur*; nec, *sicut tres Personas, ità* tres Substantias *prædicamus*; *sed* unam Substantiam, *tres autem Personas. Quod enim Pater est, non ad se, sed ad Filium est*; *& quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est*; *similiter & Spiritus Sanctus non ad se, sed ad Patrem & Filium relativè refertur. — ità cum dicimus,* Deus, *non ad aliquid dicitur, sicut Pater ad Filium vel Filius ad Patrem, vel Spiritus Sanctus ad Patrem & Filium; sed ad se specialiter Deus dicitur: nam si de singulis Personis interrogemus, Deum necesse est fateamur*; *Deus ergo Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus singulariter dicitur*; *nec tamen tres Dij, sed unus Deus. — singulariter ergo unaquæque Persona, unus Deus creditur. — nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus. — Hæc ergo sancta Trinitas, quæ unus & verus est Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero; in Relatione enim Personarum numerus cernitur, in Divinitatis verò Substantiâ, quid enumeratum sit non comprehenditur. Ergo hôc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt*; *& in hoc numero carent, quod in se sunt. Nam ità sanctæ huic Trinitati unum naturale convenit nomen, ut tribus Personis non possit esse plurale. — Trinitatem igitur in Personarum distinctione agnoscimus*; *Unitatem propter Naturam vel Substantiam profitemur*; *Tria ergo ista unum sunt. Naturâ, non Personâ.*

Quæso, Præstigiatórne tantus es, ut ista Conciliorum Symbola cum tuo conciliare possis? Tres Naturas & unam, tria & unum, denominationisq; ejusdem, id est, manifestè & contradictoriè pugnantia, Unum & non unum, Tria & non tria, hócq; omninò eodem sensu? Errat, ergo vel tua, vel Conciliorum de Trinitate fides. Ex concessis, non Conciliorum; tua igitur consequenter. Capitalis autem error ejusmodi, si nolis Pagani sit, Hæretici saltem jam totus erat, Oxonienſi licèt damnatus nondum Decreto. Quapropter quid illic ab Academicis tantopere peccatum est, errorem nomine suo meri-

meritiſſimóq; appellantibus, quem & licuerat ex Conciliis duriori appellâſſe? Parum in antiquitate monumentiſq, Eccleſiaſticis verſatur, quiſquis trium in Deo Naturarum Dogma aut Paganiſmum aut Hæreſim non dixerit. Leviùs multò contra fidem peccaverant innumeri, quorum tamen Opiniones inter hæreticas recenſentur, non ab Epiphanio tantùm & Auguſtino in ſuis Hæreſeon catalogis, ſed in Synodis ipſis Generalibus. Pudeat hominem Theologum, ab hæreſi tam vehementer id excusâſſe, quod tam vehementer ab universâ toties Eccleſiâ pro Hæretico pro Ariano condemnatum eſt. Quicquid enim ab illâ hæreſi diſtet hæc tua, in eo ſaltem conveniunt quòd damnavere inſignioris notæ & Patres & Concilia, Naturarum ſcilicet in Deo diſtinctionem. Fruſtra igitur objeceris, eam negare te, quam ſimul Arius affirmaverat, & diverſitatem & differentiam & ſeparationem & diviſionem, alienitatem, diſcrepantiam, imò & diſparitatem. Quid ſi reverà neges hæc omnia, diſtinctionémq; tantummodo illam aſſeras, quæ Diis ſufficit multiplicandis, quam & tot perculſam noſti fulminibus, anathematizatam toties? Nonne hinc plùs ſatis docuiſti hæreſim? Quid autem ſi conſtet Verbis te tantùm & non re ipsâ eorum plurima negaſſe, quæ etiam ille affirmaverat? Quid ſi ex illâ tuâ Naturarum in Deo diſtinctione diverſas & eas eſſe neceſſariò probetur; imò & differre & ſeparari & dividi, alienigenas fieri omnino, diſcrepantes ac inæquales? An & tunc nec Arianum Dogma tuum fuerit nec hæreticum? Sequi autem iſta omnia ex illâ Naturarum diſtinctione ignorat nemo niſi qui & eam ignoraverit. Argues fortè à ſimili, tibi ſimillimo, diſtinctas eſſe Perſonas & nihil præter diſtinctas; non ſeparabiles (ſaltem) non diviſibiles: cur non & Naturas (inquis) ſimiliter? Argutè quidem, ut ſoles! At audi: Nonne hoc Perſonis accidit, quia, diſtinctæ licèt, imò & ex relativâ conditione ſuâ diſtinctiſſimæ, commune tum habent quiddam, in quo non modò jungantur, verùm etiam identificentur, propterea; nec ſeparari nec dividi poſſint. Quorum enim natura omnino una eſt, ſubſtantia una, una numero eſſentia, nulla horum poteſt eſſe aut ſeparatio aut diviſio. Quid enim à ſeipſo vel ſeparetur vel dividatur, quantiſcunq; diſtinctum relationibus? Naturæ quidem & communitas & identitas, Perſonarum non tollit diſtinctionem, (ut Sabellio ſtultè placuit;) ſed & omnem omnino

nino ſeparationem & diviſionem; cum nihil impediat quin res eadem diverſimodè referatur, ſeq; habeat ad oppoſita; repugnat autem eam à ſe ità divelli, ut neq; ſecum ſit, neq; ſit quod eſt. Sola hæc idcircò & ſeparari poſſunt & dividi, quæ naturis diſtincta ſunt. Natura verò Perſonarum in Divinis cum ſit nobis (ſi non tibi) prorſus eadem, mirum videri non debet, ſi nec ſeparabiles ſint nec diviſibiles, hoc vinculo unitæ indiſſolubili. At multiplicatis diſtinctiſq; in hypotheſi tuâ etiam naturis, quid eas repugnet & ſeparari & dividi poſſe, cum ipſamet naturarum à ſe invicem diſtinctio, naturalis quoq; ſit (non localis licèt) earundem viciſſim & ſeparatio & diviſio. Subſtantia enim quælibet, ab aliâ numericè diſtincta ità ab illa (hujus vi diſtinctionis) & ſeparatur & dividitur, ut cum nihil habeant commune præter Logicam meréq; intentionalem aut generis aut ſpeciei relationem, individui nomen ſortiantur ſingulæ; unaquæq; nimirum indiviſa jam in ſe eſt, & ab aliâ quâvis diviſa. Putáſne, tu Doctor, intellectuales ſubſtantias nec ſeparari nec dividi, quia fortaſſe ità loco junctæ, ut eundem omnino ſimul occupent? An putas etiam, vel ex *mutuâ conſcientia*, vel ex circumínceſſione, inter Naturas diſtinctas ſiqua ſit, aliam ab aliâ inſeparabilem eſſe aut indiviſibilem? Si quid putes ac doceas hujuſmodi, bene conſultum eſt, ut Legum potiùs quàm aut Theologiæ aut Philoſophiæ Collegio Magiſter præſis. Quis ignoret enim (vel in Logicis rudis diſcipulus) eſſe omnino indiviſum in ſe diviſúmq; à quocunq; alio, quicquid ex Naturâ realiter diſtinctâ habet, quòd ſit hoc & non aliud? Individuationis námq; principium idem eſt ac diviſionis; unde ſi tres fuerint ex hypotheſi tuâ in Deo Naturæ, hæque realiter diſtinctæ, tria conſequenter erunt Individua, proindéq; quodlibet in ſe quidem indiviſum, ſed ab alio diviſum quolibet: nec vinculum omnino reliqueris, quo Naturæ illæ ità diſtinctæ, ſibi invicem cohærere poſſint indiſſolubiliter, quibus reliqua nempe nec ſubſtantia communis nec ſubſiſtentia. Crede mihi, ſeparata ſunt, diviſa ſunt eſſentialiter, quæcunque vel Naturâ, vel Perſonâ Unum non ſunt. Tres Perſonæ in Deo uniuntur, nexúq; indiſſolubili, ſed ex Naturæ communis Identitate. In Chriſto etiam inſeparabiles duæ junctæ ſunt Naturæ, ſed propter communis Perſonæ Identitatem. Sic, neq; Naturarum neq; Perſonarum ullatenus obſit diſtinctio

ctio quominus ſint indiviſibiles, adſit modò vel Subſtantiæ vel Subſiſtentiæ Identitas, quâ etiam cum diſtinctione ipſa Unitas ſervetur, vel Naturarum in unâ Perſonâ, vel Perſonarum in unâ Naturâ. Tardius autem, ad inſeparabilem Diſtinctorum unionem, aliud quodcunq; occurrerit vinculum, cum jam in ſuo *eſſe* conſtituta perfectè fuerint; unum enim intrinſecè atq; eſſentialiter fieri non poſſunt, per adventitium quicquam ſuâ ipſorum eſſentiâ poſterius. Quamobrem quicunq; ante te diſtinxere in Deo Naturas, Perſonis collectivam tantùm aut Moralem aut Logicam tribuére unitatem; quod quàm repugnet Fidei ac Rationi, nemo non videt, vel mediocriter & Theologus & Philoſophus; cum niſi Deo tribuatur ſimplex, naturalis, realiſq; unitas, alia quæcunq; nulla Deorum obſtabit pluralitati, Perſonáſq; ſimul tam arctè vinciet. ut non ex ſuâ Naturarum diſtinctione & ſeparabiles ſint & diviſibiles; quæ jam ſcilicet actu réque ipsâ ex diſtinctione hujuſmodi & ſeparatæ & diviſæ eſſentialiter ſupponuntur. In rebus ipſis materialiter quantis diſtinctum omnino quicquid eſt, ſeparatum eſt etiam ac diviſum, nec modò ſeparabile ac diviſibile: quapropter & ea vocantur diſcreta, quorum extrema, ſimul quamlibet, unum tamen non ſunt. Præſente licèt animâ corpori, ſeparatim diviſimq; exiſtunt ambo, ſi vel naturale quo uniantur defuerit vinculum. Separari náinq; & dividi aliud ab alio neceſſe eſt, hoc deficiente quo ſolo in unum formaliter junguntur compoſitum; adeo ut in quovis rerum ordine, aliud & aliud (diſtinctum eſſentialiter utrumque) repugnet unum eſſentialiter fieri, niſi intercedat eſſentialis utriq; nexus; quandiu autem ſic unum non ſunt, ſint oportet disjuncta eſſentialiter & diſcreta, ſeparata & diviſa. Cum igitur nulla ſit in Deo unitas niſi Naturæ, ità ut quæcunq; reperiuntur in eo diſtincta, conveniant neceſſariò in communem Naturam, unde (quæſo) tribus diſtinctis tuis in Deo Naturis nexum invenies, quo unum quid eſſentialiter indiſſolubilitérq; fiant, niſi quartam tribus adjicias? Cum autem id nondum pálam auſus ſis, propter rei abſurditatem, & exploſa toties fuerit *Mutua* illa, quam in Unitatis principium erexeras olim, *conſcientia*, nihil jam remanet quod diſtinctas illas uniat Naturas, ideóq; ſeparatæ manent atq; diviſæ: nec Perſonæ ipſæ minùs; unum enim cum ex ſola communi Naturâ eſſe poſſint, diſtinctis disjunctíſq; Naturis ipſis

nihil

nihil ſupereſt quo jungantur; propterea q; ſequi neceſſe eſt ex Dogmate tuo, illas quoq; non modò & ſeparabiles eſſe & diviſibiles, ſed & ſeparatas & diviſas. Quale nunc tibi Dogma hoc videtur? Quot nigrum fulminibus? Quot infame Decretis? An aliud unquam ſæpius damnatum, pluribúſq; nominibus hæreticum? Quid peccârunt ergo Academici Oxonienſes, qui Doctrinam tot ſæculis hæreticam & Conciliis, eodem inſignierunt elogio, Arianiſmúmq; ſibi è pulpito inſultantem, tot ſæculorum tot Conciliorum ferierunt Anathemate. Diſcerptum, diſſectum quicquid Divinum eſt audierint, & tacuerint, & tacendo probaverint, imò & laudaverint? An putas vel hoc impune abiiſſe tulerint ipſimet tui Cantabrigienſes, ſi & idem ſua ſonuiſſent pulpita? Memini cum inter vos olim agerem peregrinus ego, tantâ utramq; Academiam non Literarum modò ſed & præſertim fidei Orthodoxiæq; floruiſſe laude, viríſq; ex illâ æmulatione tantis, ut nullus dubitem, quin pares utrínq; ex hóc Dogmate tuo tibi jam contraxeris inimicitias, imò & hinc forſitan majores longè, unde ſuum ortum habuit inſtitutio tua, dignitáſq; omnis. Non poteſt enim non indignari plurimùm in filium ità degenerem Mater optima; & ne ſibi imputetur, quaſi infuſam à ſe quam doces hæreſim hanc brevi (ni caves aut reſipis) damnatura eſt ipſa inclementiùs; tantùm abeſt ut latam nuper à Sorore dignisſimâ Sententiam improbet, aut mitiore unquam leniat. Ex pietate indulgeri quidem aliquatenus poteſt hæretico, hæreſi autem ne vel minimùm, univerſæ fieret injuria Eccleſiæ hâc indulgentiâ; crudelis eſt pietas cum damno publico; ſerpit latiùs malum quod tegitur, proditq; impudentior ſceleris audacia ex impunitate. Sed neq; privati juris Tribunalíſq; eſt Conciliorum temperare judicia. Hæreſis quanta illic ſemel decreta fuit, tanta & ubiq; & ſemper prædicari poteſt, minor & nuſquam & nunquam. Nec Decreto vis ſua aut ex ætate minuitur aut ex mutato erroris damnati nomine. Dum enim res probatur eadem in Sherlocio quæ & in Ario, error eodem Decreto damnatur; redit, non fit, Anathema; ut neq; fit Hæreſis, ſed redit.

Nec redit ſola; comitantur reducem plurimæ, & hæ reduces pariter. Celebris eorum fuit qui ab uno creata omnia negârunt Principio; celebris etiam eorum qui tres nominatim dixere creatores. Hæreſes autem iſtas nonne renovat, quiſ-

quis *tres* prædicat *infinitas Mentes*, Divinas Naturas tres distinctas, proindéq; & tres Omnipotentes, Creatores etiam tres, tria rerum omnium productiva Principia, tres nempe Deos? Testis enim mihi est, non Eusebius modò, sed & Augustinus in suo de hæresibus libro, trium Naturarum Authorem fuisse & totidem Principiorum. Ità cohærent errores ambo!

Hæresis nonne etiam fuit, hæcq; sæpius damnata, Deitatem à se ipsâ non esse, ità ut & in Filio gignatur, & producatur quoq; in Spiritu Sancto. Deitas enim non est, quæ & Principium absq; Principio non sit; nec ullatenus æquales sunt Personæ Divinæ, quarum prima tantùm in illâ hypothesi Naturam sibi vendicat improductam; unde nec Patri Filius ὁμόσιος, ὁμοδόξος, ὁμοδύναμος; quæ omnia quàm repugnent Conciliis nemo nescit, nisi is qui Concilia non legerit, repetitáq; toties in hæreses illas Anathemata. Non potes autem tibi non esse privatim conscius ex tuo trium in Deo Naturarum Dogmate hæc eadem necessariò sequi; proindéq; & iis ipsis Decretis hæreticum illud esse, quibus olim similia damnata sunt. Ecce habes quæbilem inflamment tuam Decreta pristina; Oxoniensi ne vel indigneris, quo & adhuc muto, jampridem Naturas tres tuas damnaverant tot alia. Vic enim quicquam plures armavit & Animadversiones & Judices; adeo invisa fuit tot tantorúmq; malorum causa! Ex illo scilicet fonte pestifero, nemo facilè dixerit, an plures majoréſq; ortæ sint in Ecclesiâ hæreses, quàm in Imperio bella. Quantæ igitur aut ignorantiæ fuerit aut impudentiæ, *trium* dogma *Mentium* seu Naturarum à *falsitate*, ab *impietate*, & ab *hæresi*, contra justissimam Academiæ sententiam, pertinaciter vindicare; quâ quidem sententiâ nihil & Religioni & Reipublicæ utilius? Omnia perierant, nisi periisset dogma hoc tuum, quo nec pejus aliud nec perniciosius quicquam. An cui parcat, quod nec Deo? Ter beatum igitur Oxoniense Decretum, ter beatas Animadversiones, ter beatam & Authoritatem & Doctrinam, quibus extincto (ut hîc speramus) apud vos tanto incendio, ità opportunè saluti omnium & quieti prospectum est. Si qua autem tribus his desunt Epistolis meis, cum primùm vacaverit, aut necessum videbitur, abunde supplebo & libentissimè. Opto interim ex animo tibi & aliis tantùm prosint quæ pauca scripsi, quantùm, quæ tu plurima, nocuere.

APPENDIX.

APPENDIX.

FInem hîc (ut vides) ſcribendi feceram, cum ex relicto præter ſpem otio novos concepi animos, ut imperfectum opus proſequerer, párſq; nulla Examinis tui Examen effugeret meum, aut neglecta relinqueretur, hæcq; præſertim quam minimè negligendam putes; imò nec putem ipſe. Quicquid enim hactenus pro te vel contra te diſputatum fuit, ex iis pendet maximè quæ ſuperſunt adhuc diſputanda; *utrùm ſcilicet ab Eccleſiæ & Catholicæ & Anglicanæ doctrinâ diſſonum ſit*, ut accuſaris, *Dogma tuum*, nécne? Quamobrem bene ac prudenter laboras totus, ut ab illâ purgeris criminatione, purus nimirum à cæteris, ſi vel ab iſtâ. *Falsò* enim aut *Impiè*, aut *Hæreticè* nemo quicquam docuerit, qui utriq; Eccleſiæ conſona omnia. At (quæſo) *tres* in Deo *Mentes*, ſubſtantias tres (ſeu Naturas) quænam tecum docet Eccleſia? Utramq; affirmas, Univerſam nempe veſtrámq; etiam Nationalem. Quin & te illorum miſeret Oxonienſium (hæc eſt humanitas tua!) quos cum latuerat res Doctis omnibus adeo nota, induxerit cautus Animadverſor credulos nimis, ſuam ut hoc Decreto proderent facti non minùs quàm juris ignorantiam. Tuam (vereor) tamen ſcurrili hâc miſericordiâ prodis ipſemet. Quid enim Chriſtianæ locorum temporúmq; omnium doctrinæ contrarium diſſonúmq; magis quàm hæc ipſa *trium* in Deo *Mentium*. Imò & ſubſtantiarum, quicquid pro iſtis Hilarium toties objicias, Interpres Hilarii imperitiſſimus? Quas enim tres in Deo ſubſtantias aliquando vocat, Perſonas manifeſtiſſimè intelligit, niſi vis ſibi non conſtet Doctor tantus, qui Unam eandémq; toties profitetur quoq; in Patre ac Filio ſubſtantiam. Subſtantias dixit eo, quo Boetius ſenſu Perſonam definit *Individuam Subſtantiam*, proindéq; nec aliud quicquam præter tres Perſonas tribus hîc ſubſtantiis

ſtantiis indicavit. Nam ſi Naturas intelligi voluiſſet, an putas *legi eum inoffenſo pede* teſtatus fuiſſet Hieronymus? Hieronymus (inquam) Subſtantiarum pluralitati hoſtis adeo infenſus, ut in Epiſtola ſcriberet; *Quis ore Sacrilego tres ſubſtantias prædicabit?* Prædicentur Romæ, prædicentur Oxoniæ, perinde eſt; ore ubiq; Sacrilego, jampridem Hieronymo teſte ac judice: adeo invisa fuit olim Subſtantiarum hæc pluralitas, alio licet ſenſu ferri tunc potuerit. Diſcrimen hoc explicat Auguſtinus, ne quis ex tribus ſubſtantiis, quas & ipſe (rarius tamen) dixerat, offenderetur; monetq; plùs ſeniel, de Perſonis, non de Naturis, ità ſe locutum. Nec te toties ab illo aliiſq; monitum poteſt fugere, unda iſta illis temporibus vocis hujus æquivoca uſurpatio. Sat noſti Græcis & Latinis nondum de ὑποστάσεως nomine certò conveniſſe, an vel Subſtantia redderetur vel Subſiſtentia. Quæcunq; autem inter Orthodoxos de nomine lis unquam fuerit, de re conſtat fuiſſe nullam, præterq; Arianos neminem in Conciliis aut in Patribus tres ſubſtantias pro tribus in Deo Naturis docuiſſe unquam. Imò & jamdiu deſuevit hæc vocis illius ſignificatio, uti jam prænonitus es, vixq; duodecim abhinc ſæculis tres illas quocunq; ſenſu ſcripſit ſubſtantias, Orthodoxe Scribens? tam vetus eſt illarum ab ipſo Eccleſiæ Sermone proſcriptio! Reſonant ubiq; tres Perſonæ, una ſubſtantia; Vox eſt Patrum, Vox Conciliorum. Nec minùs Arianum ſapit, qui tres docuerit ſubſtantias, quàm & Sabellianum, qui unam Perſonam. Haud poſſum te non ridere (fateor) qui ab exoſis tibi Scholis præſidium hic mendices tribus tuis ſubſtantiis. Sed naufragis omnia licent, undequaq; arripiunt opem. Cave tamen, ne certius hinc pereas, unde ſalus tam certa ſperabatur. Agreſte illic hominum genus eſt, barbariem ubiq; affectant, in verbis præſertim, æquivocationis elegantias fugiunt omnes; rem quamlibet ſuo vocant nomine; & malint aures quàm rationem ſenſumq; offendi: nec facilè eos induxeris ut commodioris tantùm ſoni gratiâ ſubſtantias dicant quam ſubſiſtentias; Perſonalitates etiam dixerint, ſi nec ſatis adhuc ſe putent intelligi. Unde habes igitur, cos ab iſtâ ruſticitate ſuâ tantopere tui cauſâ receſſiſſe jam, ut tres in Deo confeſſi ſint, non Perſonas modò, ſed & ſubſtantias; cum adjecto quidem, fateris, (ità ingenuus es!) relativas nempe. Sed adjectum illud quid ad rem? Nonne hujuſmodi contentus es

ſubſtantiis?

ſubſtantiis? An alias in Deo confiteris ipſe, cùm Divina omnia relativa ſunt, Mens non minùs quàm Perſona, vi ſcilicet tuæ inter eas Synonymiæ? Abſolutis & Communibus nullum reliquiſti locum, qui inter Relativa & Propria non modò Perſonalia numeras ſed & Eſſentialia. Quid enim Deo Eſſentiale magis quàm & Mens ſua & ſubſtantia, cum Eſſentialiter totus ſit utrumque; Mens totus, ſubſtantia totus; & hoc in conceptu formali noſtro antecedenter ad quamlibet relationem? Quapropter apud Theologos omnes Deus ad ſe dicitur, antequam dicatur ad aliud. Concipitur enim Deus, concepto nondum Patre; aliud quippe eſt (teſte Auguſtino) eſſe Deum, & aliud eſſe Patrem; nec aliud modò, ſed & prius Deum quàm Patrem eſſe. Relationi enim ſuum præſupponitur ſubjectum; prius nempe in ſe oportet ſit quàm aliò referatur. Deus itaq; cum à Perſonâ omnino abſtrahat, ut antecedens à conſequente; ſítq; ſubſtantia, antequam in ſe habeat relationis quicquam; dici non poteſt (præciſè ut Deus) Relativa aut Perſonalis ſubſtantia, ſed aut abſoluta aut eſſentialis. Cum autem (invitâ hypotheſi tuâ) Deum profitearis unum eſſe eundémq; numero, unam eandémq; admittas pariter neceſſe eſt ſubſtantiam, abſolutam & eſſentialem. Sic Philoſophantur Scholæ omnes. Siqua verò præterea dicenda ſit in Deo ſubſtantia, non miror eam relativam dici, cum tunc pro Perſonâ uſurpetur, totidémq; ejuſmodi ſubſtantias quot Perſonas. Incauti tamen videntur quotquot ex Theologorum grege tres in Deo ſubſtantias, etiam Relativas, tibi numeraverint. Poſſe quidem tot numerari in Hilarii ſenſu, pro Perſonis nempe, legi et ego apud eorum nonnullos, nec ignobiles; ſed prudenter monebant licere multa quæ non expediunt, nec à malo tantùm ſed & ab omni ſpecie mali, non minus docendo quàm vivendo, abſtinendum eſſe. Ut enim ingenia ſunt hominum, prona ſemper in pejus, facilè quod de relativis docerentur ſubſtantiis, ad abſolutas transferrent; & propter vocis æquivocationem ſæpiſſimè per tres ſubſtantias tres æquè Naturas ac Perſonas intelligerent. Quapropter quos ipſe ſoleo legere, hóſq; nec paucos nec obſcuros, cavent ii omnes à tribus in Deo ſubſtantiis, relativis licèt; periculum enim eſt, in Scopulo etiam ludere. Nihil quidem timebant ejuſmodi, quos ex Tritheïtis habuiſti Magiſtros. Tres quocunq; ſenſu docuerunt te in Deo ſubſtantias, nec etiam

diſtinctas

distinctas minùs absolutásq; & Essentiales, quàm in tribus distinctis Hominibus aut Angelis. Sic Ariani omnes, affinésq; Hæretici innumeri, nominéque quàm errore diversi magis. Sic *trium* ante te Doctores *Mentium*; sic Valentinus Gentilis, sic Curcellæus, recentioréſq; alii. Cum enim (ut agnoscis ipse) Deitatis substantia Mens infinita sit, ex Mentium numero idem & Substantiarum infertur numerus, imò & Deorum. Sed ex noſtris, sed ex quibuscunq; in hujus saltem fide mysterii Orthodoxis, vix ullum in tot Scholis reperies, qui tres in Deo substantias doceat, etiam relativas. Nam etsi in Deo relativa multiplicentur omnia, substantiáq; pro Personâ supponens, relativa esse quodammodo possit, periculosæ tamen interpretationis metu, nolint pro tribus Personis tres dicere substantias, relativas licèt; eundémq; servant scrupulum in quâcunq; voce sensum pariturâ ancipitem metuendúmque Deitatis unitati; cui non religione minori consulendum esse docent quàm Personarum distinctioni, æqualibus utrinque præcipitiis imminentibus diversissimis. Quapropter nec Aquinas ipse tria in Deo entia facilè dixerit, quanquam relativa, veritus nimirum nequis ex cognatâ *entis* & *esse* vicinià pro tribus distinctis entibus distinctas etiam tres dicat essentias, ideóq; & Naturas & Deos. Non omnes quidem ità sunt timidi vel ex suis ipsius Discipulis, nec tres Personas tria scrupulosiùs entia dicendas putent quàm tria quævis transcendentalia; nam etsi Persona in Deo nihil præter subsistendi modum addat substantiæ, modus tamen ille cum sit maximè realis, entitas etiam necessariò actualis esse debet; quicquid autem actu est, ens consequenter oportet quoq; sit; nam vel Accidens ipsum, tenuis quantumvis entitas, definiri ab Aristotele non potuit absque genericâ quâdam entis ratione, nec ità imminui, deprimi, conteri, attenuari, dixi ferè & annihilari, quin saltem entis ens prædicaretur. Entis ergo nomen quis realitati in Deo cuilibet sanus negaverit, cum & substantialo sit quicquid in eo creditur entitatis; unde & tres ejus non distinctos modò sed diversos etiam subsistendi modos quos dicimus, cur non & tria entia, quanquam relativa tantùm, dici quoq; liceret absque periculo? Tutior quidem numerus est in aliis quibusdam transcendentalibus; tres sive res dixeris, aut tria aliquid, aut hujusmodi tria non pauca, quæ cum entitate reali quâlibet necessariò multiplicata, Deorum

tamen

tamen pluralitatem nec asserunt nec inferunt. Utinam intra hos sobriæ multiplicationis terminos te continuisses, sola hæc in Deo tria esse docens, quibus ità Personæ distinguuntur à se invicem, ut in unam tamen eandémq; omnino conveniant Naturam indistinctámq; essentiam. Agit enim Dei causam imprudentissimè, quisquis Personarum Trinitati adversùs Sabellium totus prospiciens, Naturæ cum Ario destruit unitatem. Quid hanc autem destruat magis quàm in Deo Substantias multiplicâsse, ut Personis non sint pauciores? Hoc te nullæ docuerunt Scholæ, quæ nostræ, quæ Christianæ sint: adeo illic ubiq; Deitatis consulitur unitati, quam nemo numericam servet, servatâ tribus Personis nullâ communi substantiâ, quâ solâ nempe tres Personæ unus sunt simplicissimè Deus. Hinc tanta fuit & Conciliis & Patribus, omniúmq; Scholarum Theologis tuendæ unius Substantiæ cura, quæ tribus Personis individuam servaret Deitatem. Evolve Libros omnes; & siqua fortè, tam multos legenti, occurrat incauta loquendi formula, cujus incautior interpretatio distinguendis in Deo Mentibus videtur faviſſe; integra passim leges volumina, quæ unam, seu Naturam, seu Essentiam, seu tribus omnino communem Personis substantiam te doceant; nihilq; unquam in hôc Trinitatis Mysterio Fidei Catholicæ contrarium dissonúmq; magis quàm hæc tua *Mentium* simul & *Substantiam pluralitas*. Hujus enim ne vel ex Hilario præside, quem jactabas, tuo locum proferes, quo per tres, quas sæpius asserit, Substantias, tres Mentes vel semel eum intellexisse pateat, quin imò & ipsum cæteróſq; Orthodoxos omnes patet ubiq; unam in Deo Mentem, proindéq; & unam Essentialem intellexisse Substantiam, quæ tribus Personis communis sit, eadémq; in omnibus quæ in singulis. Unam eandémq; fateris ipse, at sensu longè diverso, quem & falsissimè Patribus tamen & Conciliis imputas; quasi & illis, ut & tibi, non aliter Divina Substantia sit una eadémq; trium in Deo Personarum, quàm trium in nobis Hominum Humana. Hoc autem tu indubitatè verum, idémq; sensisse tecum Ecclesiam universam, existimare præsertim videris, quia scilicet cum disputaretur olim adversùs Arium, Filio negantem τὸ ὁμοούσιον, communis cum Patre privilegium Substantiæ, arguebant Orthodoxi tum Theologi, communem Patris cujuslibet ac Filii substantiam esse; Adami non aliam quàm Abelis; utriusq; perfectè unam eandémq; essentialiter;

quæ

quæ tamen unitas identitásq; eſſentialis non ità diſtinctionem tollit, quin & ſint diſtincti homines, uti & Perſonæ diſtinctæ: Individuorum enim ſic eſt conditio, ut ſpecificè ac ſecundùm eſſentiam unum habeantur; realiter autem ac ſecundùm exiſtentiam ſint plura, & omnino diſtinctè ſe habeant. Unde & adversùs Arium inferebatur demonſtrativè Filium in Divinis Patri eſſe conſubſtantialem, ejuſdemq; cum eo naturæ; imò & unam ſimul, Logicè ſaltem, eſſentiam: hincq; adversùm nos etiam infers (nec demonſtrativè minùs, ſi Unitas in Deo ſit merè ſpecifica) poſſe quidem Divinas, Perſonas unum eſſentialiter dici, triáq; tamen realiter eſſe, eáq; diſtincta, non ſuppoſita modò, ſed & Subjecta, Individuáſq; & Naturas & Subſtantias. Inferam & ego aliquid amplius, quod & ipſe nolis, hinc nempe & ſequi tres dari Deos. Quapropter (inquis ipſe Defenſionis tuæ Paginâ 17.) dicere non debemus, neq; hoc ipſi voluere Patres, vel ità loquendo, Unitatem Naturæ inter Patrem & Filium & Spiritum Sanctum meram eſſe ſpecificam Identitatem. Abſit enim ut ex Naturâ Divinâ Speciem pluribus communem Individuis conſtituamus; tum quippe Divinæ Unitas Naturæ nihil præter Logicam eſſet intentionem, quæ ſola eſt Specificæ Naturæ unitas; cum tamen eſſentialiter atq; numericè Deus unus ſit. Tres Divinæ Perſonæ Individua non ſunt communis Naturæ, haberent enim tres individuas Divináſq; ſubſiſtentes Naturas; unde non minùs fierent tres Dij, quàm ex humanis tribus individuis Naturis tres Homines. Divina tunc Natura, ſicut & Humana, multiplicando ſoboleſceret, hincq; Deorum creſceret numerus ut & Hominum. Si quid Anglicè ſapio, habes hîc Latinè ipſiſſima propemodum verba tua. Igitur (Authore te) vides quanti ſit periculi ad Unitatem confugere Specificam, ut in Divinis tribus Perſonis Natura reperiatur una, Eſſentia una, una Subſtantia. Periculi tamen, quod videras in Defenſione, jam oblitus in Examine, unitatem hanc tribus Perſonis eſſentialem pendere omnino jubes à Naturæ communis unitate ſpecificâ, quam ità placuiſſe hîc putas & Patribus & Conciliis, ut ipſum laudàſſent Arium, ſi modò in Filio eandem ſpecificè ac in Patre Naturam confeſſus fuiſſet, quippe qui damnatus tantùm ex Naturis quas docuerat in utroq; omnino diverſis, aliunde minimè damnandus, eas ſi vel docuerit numero diſtinctiſſimas, cum & hanc ab Eccleſiâ tunc approbatam

eſſe

eſſe diſtinctionem ſatis inſinues, ex illo nempe quo adversùs eum Patres uſi ſunt, ſpecificæ unitatis argumento. Quaſi neſcias hinc illius errorem ſufficientiſſimè redargui, nec diverſos aut diſpares eos eſſe qui vel ſolâ ſpecie conveniunt, quantò minùs autem ſi ne vel numero natura eorum differat. Sed hoc tunc omiſiſſe ſummæ prudentiæ fuit, non modò quod ſuffecerat aliud, verùm etiam quod longè minùs in Arii causâ profuiſſet, quàm nocuiſſet in Sabellii. Ex eâdem enim omninó, unâ numero naturâ, palam ſi fortè ab Adverſariis ipſis conceſſa, unicam in Deo Perſonam obſtinatiùs nonne defendiſſet? Mutatis verò nunc temporibus, cum jam non à Perſonarum Unitate, ſed abs ipsâ Naturarum Trinitate periculum immineat, mutanda eſt etiam diſputandi ratio, & contra Unitatem naturæ Specificam, Numerica palam aſſerenda eſt. Nec eam tamen ità ſiluere Patres, ipſáq; Concilia, ut non occurrant paſſim in antiquis Eccleſiæ Monumentis Unitatis hujus teſtimonia celeberrima. Præbui jam tibi non pauca quæ legeres, nec dubitem quin multò plura in ipſis fontibus legeris. Hinc certè hauſeras quod à te modò audivimus contrà ſpecificam Naturæ Divinæ Unitatem. Ait enim Auguſtinus, *lib. de Trin.* 7. Divinitatem non eſſe communem tribus Perſonis tanquam tribus Individuis, quia aliàs eſſent tres Dij. Nihil magis unum quàm ex ſuâ Naturâ Deus, ut ex Perſonis nihil magis trinum. Hinc pulchre in Conciliis definitur Deus, *Unitas in Trinitate & Trinitas in Unitate.* Unde celebre illud Ambroſii, *lib. de Fide* 1. In gratiam hujus unitatis, cum ab eâ excludi docet numeri quantitatem. Nihil enim in Deo numeratur præter ipſas relationes, cætera unum omnino ſunt. Ex Boetio hoc habent omnes Scholæ; In Deo omnia ſunt unum, ubi non obviat Relationis oppoſitio. Quæſo ubi nunc locus tribus in Deo Naturis, Subſtantiis, Mentibus, Eſſentiis, eſſentialibúſq; cæteris? Pater idem eſt Deus qui eſt Filius; Filius idem eſt Deus qui eſt Pater; in tribus Perſonis unus numero Deus; proindéq; una numero Natura, Subſtantia, Mens, Eſſentia; Unum Eſſentialia cætera; ſola diſtinctio Perſonarum & Perſonalium eſt. Naturæ Divinæ Unitatem, quam ſolam nôrant Philoſophi, compendioſiſſimè totam exprimunt, Deum definientes, *Ipſum Unum.* Hoc ſatìs Deus ipſe indicaverat cum ſe definiret, *Ipſum ens.* Ens enim & Unum cum ſint alterutruus reciprocatio, quicquid eſt ipſum ens, ipſum

ſum etiam eſt Unum. Hoc tamen ecce multiplicas, tribus tuis & Mentibus & Subſtantiis; adeò ut (ſi tibi credatur) neq; Deus jam erit ipſum ens, ipſum neq; unum. O ſcires utinam tanti vim utriuſq; Oraculi; & quanta ſit entis plenitudo, quod ens ipſum eſt; & Unitatis quanta in eo ſimplicitas, quod unum eſt ipſum! Profectò, Sherloci mi, ens illud nec multiplicares, Unum illud nec diſtingueres. Maximè ens eſt, quod eſt ipſum ens; quid autem addas enti maximè? Maximè eſt ens, quia plenum, quia totum ens. Sic Aquinas Deum eſſe maximè unum docet, quia eſt in ſe maximè ſimplex. Neutrum autem tecum eſſe poteſt, quod ex diſtinctis (eóq; imperfectis nomine) compoſuiſti Naturis. Audi Theologum Aquinate longè antiquiorem; Græcus licèt, ſine hîc Latinè loquatur. *Non ex tribus imperfectis unam* (inquit) *compoſitam Naturam perfectam intelligamus; ſed in tribus Perſonis perfectis unam ſimplicem ſubſtantiam, ſuper-perfectam & ante-perfectam.* Num puta Damaſcenus iſte Sherlocium hîc egerit? An tres Naturæ cum illâ Dei ſimplicitate conveniunt? An tres ſubſtantiæ cum illâ tam ſuperlativè perfectâ ſubſtantiâ? Idem omnino eſt, quod in Deo perſonale non eſt: unde jam olim celebre illud fuit; *Pater & Filius ſunt idem ipſum, non idem ipſe.* Hoc uno veluti jaculo confoſſi ſunt Trinitatis hoſtes æmuli, Arius, & Sabellius; ut hinc facilè intelligas tutam ab utroq; fuiſſe Eccleſiam, abſq; *tribus* tuis aut *Mentibus* aut Subſtantiis: quanquam objeceris temere (ne quid gravius dicam) præter illarum aſſertores Sabellianum eſſe quemlibet ex nobis Trinitarium. Optârim ex animo tam procul ab Ario diſtares quàm nos à Sabellio; inter utrumq; pariter Medii, jaculóq; illo utriq; formidabiles. *Pater & Filius ſunt idem ipſum*; Arium terret hæc noſtra confeſſio, quæ tua non eſt: *Non ſunt idem ipſe*; Sabellium terret hæc, quæ non minùs noſtra eſt quàm tua, quicquid calumnieris, pari & ignorantia & impudentiâ, ut plus ſemel demonſtratum eſt. Cavendum fuit ab Arianiſmo; cavimus, confitentes cum univerſâ Eccleſiâ Patrem & Filium *idem ipſum* eſſe; hoc non caviſti. Etiam à Sabellianiſmo cavendum erat; tecum cavimus, negantes quòd ſint *idem ipſe*. Caviſti enim & tu, ſed non eo quo nos reliquáq; Eccleſia modo. Tutior ut eſſes à Sabellio, ad Arium confugiſti, ab extremo ad extremum aliud. Et enim ne tibi Pater & Filius eſſent *idem ipſe*, cum Ario negâſti

eos

eos esse *idem ipsum*, cantus ut soles; quasi multiplicatis distinctisq; Naturis sequatur necessariò multiplicandas esse distinguendasq; Personas; aut difficilius sit in unâ Personâ plures Naturas subsistere, quàm Personas in unâ Naturâ; cum tamen utriusq; exempla nobis fides præbeat, prioris in Incarnatione, posterioris in Trinitate. Quamobrem risisset te tuámq; subtilitatem Sabellius, invitâ vel Decani Doctorisq; tanti reverentiâ. Ridere Ecclesiam, ridere nos nequaquam potuit; medium tenuimus iter atq; securius, inter extrema æquo librati pondere; neq; separantes cum Ario Naturas, neq; cum Sabellio ipso Personas confundentes. Imò nec tecum Naturas vel distinguimus. Tribus Personis eandem numero servamus Naturam, eandem indivisim & Mentem & Substantiam, *Idem ipsum*. Ne autem in unam confundantur Personam, neve (ut Sabellio placuit) sint Pater & Filius, *Idem ipse*; relationibus suis eos ità probamus distinctos, ut hinc repugnet eundem dici aut esse alium, Patrem Filium scilicet aut Filium Patrem: frustráq; objicies (uti & imperitè) Personas distingui non posse nisi ex Naturis etiam distinctis; in Deo præsertim, ubi & Persona & Natura realiter non distinguuntur, cum per id ipsum quo Pater est Deus realiter sit quoq; & Pater. Sed itáne Theologicè sapis ut nescias, hinc non fieri Personarum distinctionem, unde omnino habent quòd intimè simul uniantur? A Naturâ nempe tribus communi, triúmque vinculo, quo fit ut Pater idem sit Deus qui est Filius, Filiúsq; idem Deus qui est Pater, quanquam omnino aliud sit esse Deum, & aliud esse Patrem. Alterum enim Naturæ nomen est, Personis omnibus commune; Relationis verò alterum, propriúmq; singulis, unde & illa inter eos distinctio nec realis minùs, quàm & ipsa relationum non distinctio modò sed & diversitas. Nec obstat quòd reipsâ & relatio & natura in Deo unum sint, nec in Patre aliud realiter Deus sit Patérq; aliud; sufficit enim quòd & ratione distinguantur, præbeántq; menti conceptus formales diversos, rerúmq; dissimilium imagines. Imò & nemine cogitante ità in Deo se habent Natura & Relatio, ut ex Naturâ essentialiter singulæ Personæ Deus sint; ex Relatione autem re ut & nomine Personaliter differant, & ex adverso sibi invicem opponantur, ità ut quod Patri conveniat, Filio repugnet; ac viciſſim. His aliisq; ejusmodi adversùs Sabellium utebantur Patres, ut tres agnosceret in Deo

Perſonas: Tribus nunquam Naturis, Subſtantiis, Mentibus; terruiſſent hominem Spectro Tritheïſmi, & ab Arianâ pluralitate alieniſſimum; nec à te didicerant hæreſim hæreſi perdere, fidémque tueri Trinitatis, Unitatis proſcriptione. Quâ fronte igitur niſi tuâ vindicari Dogma potuit, tanquam totius Doctrinam Eccleſiæ, quod ab eâ tantopere abhorreat, totiéſque ipſa damnaverit & meritiſſime? Quid non auſit, jam auſus talia? Actum eſt (te Judice) de Nicænis ipſis tam venerandis Patribus ni tecum deſipiant, totidémq; Deo Naturas tribuant quot Perſonas. Sapienter (inquis, ſed hoc Ironicè) inter Orthodoxos Arianóſq; diſputatum fuiſſet (cum de Filii ortu in illâ Synodo) ſi nondum concedentes utrinq; diſtinctam cum ſibíq; propriam aliámq; à Patre habuiſſe Subſtantiam, contendiſſent tamen unde hæc illi, an ex Patris ipsâ Subſtantiâ aut ex nihilo, cum ne vel conſtaret, an ipſi ulla an propria quædam Filióq; diſtinctè & peculiaris & ſua. Hæc tu hactenus. O dignum ſanè hôc tuo inter Juriſperitos Magiſterio, qui litis inſtituendæ artem calles tam ſubtiliter! Vereor tamen ne quis dixerit te non Cauſidicum præſtantiorem quàm Theologum, prudentiámque tuam non minùs deſideret, quàm tu ipſe hîc diſputantis Concilii. Nonne quæri potuit unde Filio ſua Subſtantia, communis licèt & aliorum? Quantùm litigatur de Homeri patriâ, quæ ſua tamen ità non fuit, quin & concivium pari jure eſſet. Ignoratio elenchi tibi familiaris eſt; ſæpe neſcis de quo ſit quæſtio. Nulla in Synodo erat de proprietate Subſtantiæ, ſed unde illam acceperat Filius; ſeu propriam ſeu communem, ad rem tunc nihil. Scis enim litis hujus ortum, præcipuámq; diſputationis cauſam fuiſſe, an (ut docebat Arius) creatura Filius eſſet nécne; & an ἐκ τῆ μὴ ὄντων, aut aliunde productus; Decretúmque tandem in Concilio fuit, cum eſſe, Patri ὁμοούσιον, ejuſdem cum Patre Subſtantiæ; hoc eſt, te interprete, ſpecifice ejuſdem, proindeq; realiter diſtinctæ; Interprete autem nobiſcum Eccleſiâ, ejuſdem numericè, ideóq; communis Filio cum Patre, & ab ipsâ Patris Subſtantiâ diſtinctæ ne vel minimùm. Propria Filii nulla ſunt, niſi quæ propriè Filii, & ex nomine ſoli ipſi conveniunt; Filius in Divinis nemo alius, Genitus nemo alius, Imago & Verbum Patris nemo aliús; hæc ſimiliáq; ejus & dicuntur & ſunt propria, quia Filii propriè, eáq; aliis incommunicabilia Perſonis. Subſtantia autem ejuſmodi non eſt, quia Deitas ipſa eſt; unde & tribus communis; Patri non propria minùs

quàm

quàm Filio, Filio quàm Patri, neutri quàm Spiritui Sancto, nec Spiritui Sancto quàm utrique; unde quilibet etiam pari jure Deus & dicitur & eſt; nec diſtinctè Dii ſunt, ſed unus communiter Deus: Deus quilibet, ſed idem numero Deus, propter Subſtantiæ communis Identitatem: hinc enim eſt unitas, unde tollitur diſtinctio; non tollitur autem ex propriis, ſed ponitur; communia ſunt quibus ex multis fit eſſentialiter unum. Eſſentialiter igitur una non erit trium Perſonarum Deitas, ſi Perſonæ cujuſlibet illud diſtinctè proprium ſit, quod trium debuerat eſſe commune ad Eſſentialem trium Unitatem: turpitérq; erras, qui putes cum diſtinctis propriiſq; Subſtantiis Deitatem poſſe communem ſervari, quæ Subſtantia ipſamet eſt ſua, unde & pariter vel communis utraq; vel propria. Quapropter, volens aut nolens, poſitis in Deo tribus Subſtantiis, cuilibet diſtinctè propriis Perſonæ, Deitatem tribuis cuilibet diſtinctè propriam, unde & ſigillatim quamlibet propriam diſtinctè conſtituis Deum. Nonne ergo ex ipsâ Logicâ tuâ totidem inferuntur Dij, quot præmiſiſti Subſtantias, & diſtinguuntur Perſonæ? Inferantur (inquis); Hilarium ſequor ducem, qui non aliam Deitatis quàm Divinæ Subſtantiæ agnoſcit Unitatem. Sed neq; & nos aliam agnoſcimus, hæc perfectiſſima cum ſit atq; ſimpliciſſima. Quas enim multiplicat ille Subſtantias, ſubſiſtentiæ ſunt, Perſonæ, Hypoſtaſes. Naturam tu multiplicas, cum Subſtantiam; tria omnia facis. Vide quantus ſis Trinitarius, cui in Deo præter Trinitatem nihil relinquitur, eámq; non Perſonarum modò ſed & Subſtantiarum, ſed & Naturarum, ſed & Mentium, ſed & Deorum. Valeant tamen Trinitarii Doctores hujuſmodi, valeant cum ſuo dogmate, ab Eccleſiæ Catholicæ fide ità diſſono, ità & averſo & alieno; valeant, inquam; nos verò cum Eccleſiâ illâ, in Perſonarum Trinitate Subſtantiæ credimus Unitatem & adoramus. Eam ipſam credebant, quos tibi tribúſq; tuis Subſtantiis tanto ſperabas futuros præſidio, Nicænæ Fidei Confeſſores in Alexandrinâ illâ Synodo. Tres enim ipſis probatæ hypoſtaſes, quas ex induſtriâ Subſtantias hìc vertis, omnino ab iis differunt quas ubiq; doces; nec mirari ſatis poſſum, quâ quis aſſerere auſit impudentiâ tres Dogmatis tui Subſtantias, eas omnino eſſe quas Athanaſius Confeſſoréſq; cæteri vocant hôc in loco verbatim tres hypoſtaſes. Quæ licèt Subſtantiæ tibi vertantur, non pro Eſſentiis, non pro Naturis (ut ex Synodo ipsâ manifeſtiſſimè patet)

patet) intelligendæ ſunt, ſed pro Subſiſtentiis, pro Suppoſitis, pro Perſonis. Quanquam enim τρεῖς ὑποστάσεις Catholicum ſit, & à Patribus uſurpatum; τρεῖς πρόσωπα tamen Arianum eſt, ſoliſq; placuit Hæreticis. Si vis ergo tibi cum Orthodoxis in fide ſimul & in ſermone conveniat, palam confitere unam in Deo Subſtantiam, quæ ſit Natura ſeu Eſſentia Perſonis tribus identicè communis; facilè poſtea concedetur, tres etiam in Deo eſſe Hypoſtaſes, aut ſi vis, Hilarii Subſtantias, tria ſcilicet ſubſiſtentia relativa ſeu tres Perſonas. Hæc niſi fiat aperta Confeſſio, nunquam eris *Homo Eccleſiæ*, Decanus licèt ampliſſimæ Cathedralis. Laudavit quidem Synodus aut probavit ſaltem, & eos qui tres dicebant hypoſtaſes, & eos qui unam: aut ex tuâ verſione, qui tres Subſtantias, & qui unam Subſtantiam; utrorumq; enim explicatio utramq; phraſim fecit orthodoxam. Sed diverſorum confeſſio hæc fuit; multus dubito, an in eodem tres hypoſtaſes & unam hypoſtaſim; ſeu tres Subſtantias, & unam Subſtantiam laudâſſet Synodus, vel etiam probâſſet, aut non damnâſſet potiùs, æquivocam nempe, verbiſq; ambiguam & periculoſam, ſibiq; ſaltem ex ſono & vocibus contradictoriam. Hæc tamen ſola eſt, quâ te defendis ancipiti & malè ſincerâ confeſſione, tuiq; non bene ſemper memor teipſum millies prodis; tréſq; Subſtantias tam pro Naturis quàm pro Perſonis uſurpas incautus, vel cautus nimis. Sed quanquam Animadverſoris mihi neq; ingenium neq; acumen ſit, nuſquam me lates; adeo patent concilia tua. Nullam vis in Deo tribus communem Perſonis Subſtantiam, niſi Specificam, niſi Logicam: hîc totus Logicus es; ſed hîc tantùm, ubi non deberes eſſe. Realis enim & Numerica niſi omnino fuerit Subſtantia communis illa, non eſſentialiter magis Divinæ tres Perſonæ unus ſunt Deus, quàm tres Angeli unus Angelus, aut tres Homines unus Homo. Vides autem (ſi quid vides) quàm hoc abhorreat ab Eccleſiæ Catholicæ fide, quæ præter Perſonas nihil unquam in Deo & diſtinxit & numeravit. Viderunt hoc Academici Oxonienſes, & (ut decuit) Decreto damnârunt. Quid ità peccavere, quæſo, ut non modò & ignorantiam & credulitatem, ſed & audaciam exprobres illis intolerabilem impiámque, quaſi non te ſolum (virum licèt tantum támq; inſigniter multifariámq; Trinitarium) pro Hæretico damnaverint, ſed & Hilarium ipſum, ipſum Athanaſium, ipſos in Conciliis congregatos Patres, qui hanc tecum

Subſtan-

Subſtantiarum approbaverint, laudaverint, decreverint. Longè tu certè audacior, cum tantam & Academicis & ipſis Patribus infers contumeliam. Neſcio enim queis magis injurius ſis, ità offendis utroſque. Academicos quidem, quos immeritiſſimos tantæ accuſas in Patres irreverentiæ; Patres autem ipſos, quos facis tibi in fide ſimiles. Ab eâ tamen injuriâ contumeliâq; tantâ, mihi utiq; videor illos ſatis vindicaſſe, cum ab hæreſi Dogmatis tui univerſam temporum omnium Eccleſiam tantopere diſſenſiſſe, mea hæc tot argumentis teſtimoniiſq; demonſtravit Epiſtola.

Abſit autem ut nec totam ab illo Dogmate tuo diſſentire Eccleſiam veſtram arbitrer, quam univerſæ partem ſemper duxi maximè Orthodoxam, Fideiq; puritate (utì & laude quâcunq; aliâ) ſi non ſuperiorem omnibus, ſaltem inferiorem nulli: quæ me plurimùm fefelliſſet opinio, ſi *tres* tecum (ut calumniaris) in Deo *Mentes* Subſtantiáſq; ipſa quoq; profiteretur: Cum hæc enim (te vel ipſo non inficiante) nihil ab Eccleſiâ Catholicâ, fidei confeſſione, differat, an minimùm an leviter à Dogmate differre poſſit, toti Eccleſiæ (ut demonſtratum eſt) ità & contrario & diſſono; Iiſdem nonne, quibus Orthodoxi ubiq; omnes, in hâc Anglicanâ veſtrâ ſymbolis etiam utimini? Nonne præter Apoſtolicum Nicænúmq; ipſummet, quod vel Athanaſii dicunt, admittitis, tuæ Subſtantiarum Mentiúmq; Trinitati (ſi quod aliud) infenſiſſimum, & repugnans ex adverſo? Symbolo tamen hôc (ità ingenioſus es; impudentem non dixi) quaſi præſidio ſcutóq; ſeptemplici te (Ajace omni ſecuriorem) protegis, telum in hoſtem retorques quodcunque. Sed ex multis, quæ tibi hinc objicienda proſpexeras téq; ineluctabiliter confodiunt, elegiſti (callidus) paucula, utut aptiora videbantur, quæ in tuos accommodares uſus: Arte verò quàm inani, conatúq; quàm irrito, modò ſenties. Vetitum quidem fateris ſymbolo tres prædicari, ſeu omnipotentes, ſeu æternos, ſeu immenſos, ſeu infinitos, ſeu Dominos, ſeu Deos; *tres* verò & *Mentes* & Subſtantias neutiquam vetitum. Quin & illic de tribus Subſtantiis præceptum eſt; Græco ὑποστάσεων nomine, ſi non Latino Subſtantiarum, quo ad Symboli Mentem nullum aptius. Oro te, Symbolorum interpres, ſatin' ſapis, cum eorum omnium, qui hæc tua legunt, ità faſcinare putas & ſenſum & oculos, ut arte tam craſſâ deludantur? Symbolum hoc habent quotidie ad manum; Indoctis

doctis pariter ac doctis familiare est; quotiésq; illud recitant, tres tuas Græcas Hypostases Personas ex libro vernaculè dicunt, Substantias nunquam. Imò nec fide salvâ nec sanâ mente tres hîc Substantiæ dici possint, cum de Patre, Filio, Sanctóq; Spiritu sermo est, utì à se invicem Personis distinguuntur, & Deitate conveniunt, quæ sua & Natura & Substantia est; víxq; hoc ignoret vel rudior plebecula vestra, quæ Anglicanæ Confessioni recens initiata fuerit, ubi non ex trigesimo nono, sed ex ipso Articulorum omnium primo legitur tres esse in Deitatis unitate Personas, ejusdémq; simul Substantiæ; quæ quidem non eadem minùs atq; una esse potest, quàm Deitas ipsa, cujus ipsamet unitas est, cum nihil præter Substantiam & Personas in Deo sit; proindéq; cum ex Personis sit trinus, eum oportet ex Substantiâ unum esse; ità ut ex his præmissis Athanasii Symbolum concludat, adorandam esse Unitatem in Trinitate, & Trinitatem in Unitate; quam Trinitatem (quæso Doctor) nisi Personarum? Quámve Unitatem, nisi Substantiæ? Nam, teste Boetio cum aliis plurimis, Personæ divisæ sunt, Essentia autem indivisa. Sed quænam Essentia? Non ὑπόστασις (cum tria sint Suppositа, tres hypostases) sed οὐσία, quæ & Substantia, eáq; semper una; nam hinc Deus habet non modò quòd unus sit, at, Bernardo teste, *Unissimus*, superlativè unus. An unitatis igitur tantæ principium numero constet, posíntq; tres Substantiæ, non distinctæ minùs quàm tres Personæ, Unitatem conferre superlativam, Deúmq; *Unissimum* constituere? Quamobrem aut Deorum necessariò admittenda Trinitas, aut Substantiarum (seu Naturarum) rejicienda. Tria sunt in Deo omnia, si tres hujusmodi Substantiæ; multiplicari non potest Substantia, non multiplicatis etiam attributis Dei quibuslibet essentialibus. Formæ quasi sunt, ideóq; cum subjecto numerandæ: repugnat unam duntaxat immensitatem dari, ubi sunt plures distinctæ Substantiæ, immensæq; omnes: quod & de omnipotentiâ, æternitate, cæteríq; absolutis seu essentialibus Dei attributis, proprietatibus, perfectionibus, rationis paritate intelligendum est. Utar tecum argumento ad hominem, ut captum ipsum retibus tuis erroris tui te magis pudeat. Nonne Mentem & Substantiam, æquè ac Personam ipsam, dicis esse Subjecta quasi inhæsionis, formásq; numerandas esse pro ratione Subjectorum? Audi nunc quid adversùm te ex paritate hâc inferatur. Quemadmodum ergo si tres in Deo essent Patres,

ter

ter multiplicaretur Paternitas, quæ est notionalis perfectio seu forma pertinens ad Personam; an non & *tribus* positis *Mentibus* ac Substantiis, ter multiplicabitur quoq; essentialis perfectio quælibet, cum ad Divinam Mentem & Substantiam, quæ sunt ipsamet Dei natura, non minùs attributa essentialia pertinent, quàm ad Personas notionalia. Immensitas autem, æternitas, omnipotentia, & quæcunq; Dei sunt attributa hujusmodi, non minùs essentialia sunt quàm Paternitas est Notionalis; ut ex tribus ergo Patribus ter multiplicaretur Paternitas; *tres* consequenter etiam si *Mentes* fuerint aut Substantiæ, pari numero & immensitas augebitur, æternitas pari, pari omnipotentia, quodlibétq; aliud attributum essentiale pari. At verò cum ex concessis etiam tuis, cujuscunq; Divinæ hujusmodi perfectionis multiplicatio seu pluralis prædicatio Deitatem multiplicet; vide quot nominibus tres erunt & Deitates & Dij, multiplicatis scilicet pluralitérq; prædicatis tot Divinæ Naturæ perfectionibus, quas tamen singulas pro Mentium Substantiarúmq; numero multiplicari oportuit. Tres igitur Hypostases quas in Symbolo Athanasius Græcè dixit, Personæ fuerunt, non Substantiæ: prudenter enim ubiq; cavet ne locus detur Deorum pluralitati, quam infert manifestissimè (ut vides) Substantiarum pluralitas; nam si formarum, ut loqueris ipse; quantò magìs & Subjectorum, ex ipsâmet tuâ Logicâ, rectiore nusquam. Nec *tribus* prodest aut Substantiis aut *Mentibus* in Symbolo (ut objicis) non fuisse vetitas: anne concessæ, quoniam non prohibitæ? Quanquam & illic prohibitæ satìs, ubi tres prohibemur Deos dicere, cum ab unitate Naturæ suæ (Divinæ scilicet Mentis ac Substantiæ) Deus habeat quòd unus sit; & negari non potuit formarum (quas diximus) pluralitas, quin hôc ipso & subjectorum negaretur. Urges tamen ex *tribus* aut *Mentibus* aut Substantiis *tres* non inferri *Deos*; quia Mens eadem eadémq; Substantia, quas (inquis) multiplicari oportet in tribus Personis, pro suâ in illis distinctâ realiter existentiâ, Unitatem sibi & Deo omnino servant, propter suam in eo totam, indistinctámq; existentiam. Capio te, siquid inter istas ambages tuas capi potest. Præstò tibi sunt vel *tres* in Deo *Mentes* vel *una*; Substantia una vel tres, prout aut Personarum Trinitati aut Divinæ Naturæ unitati consulendum habes, Provisor utriúsq; insignis: Sed, quæso, ex quo Pythagorâ facultas hæc tibi numerorum? Artem hanc solus invenisti (Ευ-

ρετης tu nulli conferendus,) eodem nempe formali principio Triadem constituis & Monadem; ità ut per id ipsum, quo Deus essentialiter unus, Personaliter sit etiam trinus te Arithmetico, adeo ratione carent rationes tuæ, in re (non dico nummariâ, sed) Theologicâ: nullus enim dubitem, quin se præstet in illâ Decanus aureus peritiorem longè, quàm in istâ Doctor plumbeus. Quisquis nimirum rem eandem, eodemq; sensu trinam & unam in Deo numerat, solidissimum se præbet, non Theologum modò, sed & Philosophum, quicquid sibi aliunde vindicare possit acuminis. Contradictoriè pugnant tria & unum synonymè dicta, tres Mentes & una Mens, tres Substantiæ & una Substantia, servato utrobiq; Substantiæ & Menti significatu naturali suo. Non vis enim his nominibus aliud in Personis quàm in Deo significari, unde & tres Dij necessariò consequuntur, vel fortasse quatuor, quoties nempe repetitur Divina & Mens & Natura, toties etiam & Deitas. Mentem verò & Substantiam quater hic repetis: quot igitur Deos? Nonne totidem quot ipsi Quaternitarii. Nec indignaremur, nec irarum saltem dares pœnas, nec Oxoniense Decretum quâ valemus authoritate nos etiam confirmaremus. Parum fuit, quòd Dogmatis tam *falsi*, tam *impii*, tam *hæretici* author esses, nisi & tecum sceleris tanti consciam mentireris Ecclesiam Catholicam simul & Nationalem vestram. Quos agent triumphos, quos plausus, quos ludos, utrinsq; hostes, extranei & domestici! An putas, impune diu ferat hoc Sacerdotalis apud vos Imperialisq; ipsa authoritas? Nota est illic Episcoporum pastoralis cura; Regis notior & fides & pietas. Haud sinet juncta tantæ potentiæ tanta Religio inultum abire Religionis tantum dedecus. Non Ecclesiæ modò Defensorem metuendum habens, sed & Dei vindicem; Dei enim hæc causa est, hæcq; summa; totus enim perit quem non serves unum; nec unus servetur cum tribus Naturis; quippe qui Personis non magis trinus quàm unus Naturâ. An ab hominibus potest diutius is pati, à quo hæc Deus? Remissiora sunt cujuscunq; Animadversoris flagella, quæ scelus puniant; par flagitio Decretum nullum. Quid mitius ab Academicis infligi potuit, quàm criminis denunciatio publica & execratio? Dogma nonne vis hâc indignatione saltem denuntient & execrentur, tot tantisq; nominibus *falsum*, *impium*, *hæreticum*, ab *Ecclesiæ Catholicæ doctrinâ dissonum*, *vestræque Anglicanæ repugnans fidei omninóq; contrarium*? Graviora

sunt

ſunt hæc quàm ut plecterentur levioribus. Expoſtulas de ſeveritate, ubi gratulandum erat de indulgentiâ. Bene quidem proſpectum eſt, tibiq; fœliciter, qui cum iſta peccares, peccares in Gente illâ, in Eccleſiâ illâ, ſub Imperio illo. Humanitas ubiq; non ea eſt, quæ talia taliter ferat. Non ſic effugiſſes, ſi in Italiâ hæc, ſi in Hiſpaniâ, ſi in Galliâ. Quantis expiantur illic ſuppliciis longè minores culpæ! Quantis ſub Conſtantino ipſo Error tuo ſimilis, imò & malum tolerabilius! Inveheris tamen quàm acerbè, quàm vehementer, & in Decretum & in Judices! Proſequeris eos inclementiùs quàm ipſi te. Suum in te (ſi quod fuit) Anathema, leve ad tuum eſt. Nihil, ab illis hæreſi pejus tibi imponitur; eos tu non hæreticos modò ſed & hæreſiarchas, hæreſeon Authores, hæreſeon opifices conclamas. Hæreſim ſcilicet damnârunt tuam; hæreſis hæc ſua eſt, at hæc quanta! Damnârunt (inquis) tecum Fidem verè Catholicam, Fidem ipſam Nicænam, quæ & Eccleſiæ Anglicanæ fides, eámq; hôc ſuo in reales Trinitarios Decreto Scinianis hæreticis proſtituerunt inſultandam. O modeſtiam hominis! O Academici & Decreti & Senatûs reverentiam! Agam nunc ſeriò! Hæcne Decano cuivis, etiam Londinenſi, etiam Sherlocio impune licent? An vel Epiſcopo licerent, etiam tuo, etiam tantæ dignitatis viro, de nobis etiam pariter ac vobis tam bene merito? Si hæc ne vel illi, quæſo, quî tibi? Rem adversùm te modeſtiùs urgerem, ſi præter Academiam, quantumvis inſignem, nihil aut nobilius aut ſanctius hæc tua offendiſſet procacitas. Ecce hâc ipsâ procacitate Univerſa Eccleſia offenditur, ſummâq; quâ potuit injuriâ, contumeliâ, calumniâ, cum nempe & Anglicanam & Nicænam & Catholicam de Trinitate fidem tuæ aſſerere auſus es ſimillimam, quo tamen quid turpius, quid indignius, quid & falſius, vel infenſiſſimus hoſtis aſſeruerit? An *tres Divinas Mentes*, tres in Deo Naturas, tres in Perſonis Subſtantias (ſeu Eſſentiâ) diſtinctas, proindéq; & tres Deos Orthodoxa & unquam & quam profeſſa eſt Eccleſia? Catholicam Nicænámq; fidem ſatis vindicavi; Anglicanam veſtram & ſemel ampliùs vindicabo ex veſtris ipſiſſimis Codicibus, qui *trium* in Deo *Spirituum* cultores [illegible]m & *trium* cultoribus *Deorum* confundunt teſte vel ipsâ Symbo[illegible] veſtri expoſitione Analyticâ primo qui de Trinitate eſt Articulo, ubi inter Hæreticos legitis eos recenſeri, qui tres diſtinctos ſeu *Deos* ſeu *Spiritus* credunt; quales (ut hîc etiam legitur) [illegible]re olim Eunomæi

AV 30
8

Semel & Tritheitæ à Clemente Alexandrino tot ante sæcula memorati, ex Chronologiâ licet tuâ Trithei tarum nomen ne vel auditum nisi temporibus longè recentioribus. Extas nec minùs Theologum agens quàm Chronologum, cum præter realem Substantialemq; Trinitatem tuam nullam esse ais cui non insultent Sociniani hæretici. Sola est nasuto digna eorum commate. Meritò enim exprobrent tibi te ità jam factum esse Substantialem realemq; Trinitarium, ut omnino desieris esse Unitarius; tibiq; trium ità placuisse numerum, ut & tres Deos cum *tribus* tuis & *Mentibus* & Substantiis credas & colas distinctissimè, Paganus an Hæreticus, nolo tecum nunc contendere; per otium enim ulteriùs non vacat, nisi ut optem ex animo Mentem tibi in unius simplicissimæ Divinæq; Mentis fide meliorem.

VALE.

Datum Uni-trino-poli 13 Cal. Mart. 1696.

FINIS.

305966